

V 882

Q. D. B. V.

VINDICIÆ
JURIS MAJESTATICI

CIRCA

SACRA,

ADVERSVS AVTOREM SIMPLICIS CONSILII,
QUOMODO

ECCLESIAE PROTESTANTIUM
SINT UNIENDÆ,

QUAS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

ELECTORATUS BRANDENBURGICI HEREDE,

&c. &c. &c.

SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI THOMASII, JCTI,

CONSILIAR. ELECTOR. BRANDENB. ET PROF. PUBL.

AC FACULT. JURID. p. t. DECANI,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUEMITTET

HIERONYMUS RIESE,

CASSELANUS HASSUS.

AD DIEM XXX. JUNII MDC XCIX.

H. L. Q. S.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

LITTERIS JO. HENRICI GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

RECUSA MDCCXL.

(6)



V I N D I C I A
JURIS MAJESTATICI

CIRCA

S A C R A

ADVERSUS AVTOREM SCITLIS GOSSNII
GLOMOB
ECLESIE PROTESTANTUM
SINT UNIDE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SATE MASSIMO ARAIAT AC DO IVO
DN. FRIEDRICO WILHELMO
ELECTORIS BRANENBURGICIS

DN. CHRISTIANE THOMASII JOCI
CONSILII PUBLICI BRANENBURGICI PROPRIO
AD AUCTORITATEM
HILFONUM S. R. E. S.

AD HANC
LITTEBAS
LITTEBAS



VINDICIÆ
JURIS MAJESTATICI
CIRCA
SACRA

Adversus Autorem simplicis consilii,
Quomodo Ecclesiæ Protestantium
sint uniendæ.

SUMMARIA.

Inroitus §. 1. *Occasio dissertationis.* Birnsteinische Antwort auf die Methenische Verantwortung. §. 2. Einfältige Anweisung, wie die protestirende Kirche unter sich zu vereinigen re. §. 3. *Summa libelli.* *Sententia Autoris de instituendo Presbyterio in singulis Ecclesiis.* §. 4. *De potestate Magistratus Politici in rebus Ecclesiasticis.* §. 5. *de officio Ministrorum Ecclesiæ.* §. 6. *quomodo Ecclesiæ Protestantium sint emendandæ?* §. 7. *de Decimis Presbyterio solvendis.* §. 8. *de modo sustentandi Presbyterii* §. 9. *de Excommunicatione.* §. 10. *Et Penitentia.* §. 11. *de pietate seu cultu divino.* §. 12. *de conventibus Ecclesiasticis Et Conciliis.* §. 13. *de componendis controversiis inter Protestantes.* §. 14. *Judicium generale de hoc scripto.* §. 15. *Status controversiæ Et summa dicendorum.* §. 16. *Præjudicium præjudicium auctoris, ac si Ecclesiæ potestas aliqua Politica competat.* §. 17. *contra dictum Christi Luc. XXII, 25.* §. 18. *Quid sint gubernatores?* Rom. XII. Et 1 Cor. XII. §. 19. 20. 21. *Christum non præcepisse excommunicationem.* §. 22. *nec Paulum.* §. 23. *Noluisse unquam Spiritum S. controversias fidei per majora vota dirimi.* *Differentia concilii Apostolici a conciliis reliquis.* §. 24. *Apostolos non constituisse Episcopum reliquos Presbyteros eminentem.* §. 25. *Principes Protestantes non peccasse, quod Jus Episcopale sibi vindicaverint.* §. 29. *Falsum videri ac si Doctores protestantes in eo con*

A 2 sen

sentiant, quod vitio non sit vertendum Magistratui Politico, si in negotiis religionis sibi plus iusto quid tribuat. §. 27. Auctoris axiomata & hyporbeses cum nostris limitationibus §. 28. 29. 30. Monita quaedam de iure conscientiae erroneae §. 31. Nulla exempla neque divina neque humana perspicue regulam vel legem facere. §. 32. Auctorem sapius impingere, dum ex exemplis regulam facit. §. 33. Quod maiestas debeat curam habere salutis aeternae subditorum ex Deur. XVII, 18. non probari. §. 34. Exempla Davidis & aliorum Regum sententia auctoris parum prodesse §. 35. An magistratus ex beneplacito quid possit in sacris ordinare? §. 36. Auctorem falso gloriari de demonstratione sententiae suae. §. 37. Sed potius ipsummet arma adversus se suppeditare. §. 38. ac rationes parum optas asferre. §. 39. & Principis Papismi favere. §. 40. Argumentum auctoris primarium adversus Jus Magistratus Politici. §. 41. Id inverti posse adversus auctoris sententiam. §. 42. Auctorem miscere legem & facultatem ac alia §. 43. Summa demonstrationis, qua ex Jure Naturae Magistratui Politico jus circa sacra vindicatur. §. 44. Alia fallacia in argumento Auctoris. §. 45. Fallere auctorem, dum praxin Conciliorum sub Constantino & c. ad leges positivas Spiritus S. retulit. §. 46. ac leges Ecclesiasticas in Concilio Hierosolymitano conditas asserit. §. 47. atque pro jure Ecclesiae in definiendis controversis dicta quaedam misere torquet. §. 48. ac in ostendendo jure excommunicandi parva facit. §. 49. Injustum esse postulatum auctoris, volentis, Magistratum Politicum debere specialem legem divinam pro jure suo allegare §. 50. Fallacia auctoris in disputatione adversus eos, qui Principum imperii jus circa sacra ex instrumento pacis vel superioritate territoriali deducunt. §. 51. Jura qua Auctor Magistratui Politico tribuit stabiliunt Papo-Caesarum & Magistratum subdiciunt Clero. §. 52. Auctorem ipsum, dum singulis Theologis infallibilitatem denegat, gravem objectionem contra auctoritatem Conciliorum suppeditare. §. 53. Papo-Caesarum etiam stabiliri ab Auctore in §. 9. c. 3. §. 54. Fallaciam non causae ut causae committi, dum auctor pruritum litigandi in clerico culpa Magistratus Poli-

Politici adscribit. §. 55. Falso gloriari Aurorem, quasiejus doctrinā sit propugnaculum inexpugnabile Regiminis Ecclesiastici. §. 56. Aurorem in deducendo jure Ecclesiæ circa ordinationem Ministrorum male ex exemplis facere regulam. §. 57. Sententia nostra de jure Patronatus. §. 58. Excommunicationem Theodosii ab Ambrosio non fuisse licite factam. Forte & nunquam factam fuisse. §. 59. Conclusio de utilitate doctrinæ nostræ. §. 60.

§. I.

Non fuit Reformatorum Ecclesiæ superiori Seculo, tam in Helveria, quam in Saxonia, intentio, ut plebem a subjectione & obsequio Magistratus Politici liberarent; sed ut Magistratum pariter Politicum ac totum populum a tyrannide Papali, primævæ & Christianæ libertati restituerent. Nec continet utraque Protestantium confessio quicquam, Ministros verbi ab obedientia Magistratus Politici eximat, multo minus hunc auctoritati Ministrorum subiciat; quin potius publica & tantum non unanims doctrina utrobique in eo conspirat, ministros Ecclesiæ æque subjectos esse Principi ac reliquos cives, Principi competere potestatem leges præscribendi ac ordinationes æque in rebus Ecclesiasticis, atque in secularibus. Observatum tamen fuit jam aliquoties a piis ac prudentibus quibusdam viris, quod in utraque Protestantium secta doctrinæ quædam subinde a nonnullis propositæ fuerint quæ vel Magistratui plus quam liceret tribuerent, vel Ministris Ecclesiæ majorem potestatem, quam que ex verbo Dei iis competat, adscriberent; atque sic in alterutrum duorum extremorum hic maxime vitandorum, Cæsaro Papias aut Papo-Cæsarias, dilaberentur. Igitur ut istos capitales in Jurisprudentia Ecclesiastica errores genuinus Jurium studiosus evitet, maximopere studendum est.

§. 2. Incidi non ita pridem in Scriptum Germanicum, Offensbachii ad Mœnum hoc anno publicatum, cujus titulus est:

Birsteinische Antwort auff die Nethenische Ubelgegründete Ver-
antwortung, in quo p. 169. *seqq.* refertur, quod Inspector Iſenbur-
genſis Nethenius, cum ab Illuſtriſſimo Comite Iſenburgenſi &
Birſteinſi de abuſibus quibusdam corrigendis ac vitandis ſub
pœna remotionis admonitus fuiſſet, obedientiam ſub iſtis præ-
textibus denegaverit: (1) quod Juſtus fide ſua vivere debeat,
(2) quod Fides ſe fundit in ſancto Dei verbo, (3) quod Fides
fideles vere fidos (getreu) faciat, ac propterea ejusmodi Paſtores
ab omnibus, præprimis vero ab omni Magiſtrato amandi ac pro-
tegendis ſint. Cum autem ipſe ex Sacro Dei verbo didicerit,
quod JESUS CHRISTUS, tanquam Archi-Epiſcopus animarum,
ſolus ſit unctus Rex Sionis, ac ſolus Legislator omnium Stru-
um, atq: quod, uti Paſtores non officio Magiſtratus, ita nec Magi-
ſtratus officio Paſtorum ſe immiſcere debeant, exemplo Conſtan-
tini M. qui ſe ſaltem Epiſcopum extra Eccleſiam dixerit, Clerum
verò in rebus in Eccleſia; non poſſe ſalvo honore Regis Sionis
Chriſti & ſalva conſcientia ſua alium Legislatorem, quam Jeſum
Chriſtum agnoſcere in ejusmodi rebus: v. g. quod uxor ejus
eum non debeat comitari, quando auditores ſuos viſitet, quod
officium ſuum ſecundum formulas præſcriptas debeat peragere;
quod nunquam fabulas pro concione proponere debeat; quod
durioribus expreſſionibus uti non debeat in corrigendis vitiis,
&c. ſubjungit denique, quod etiamſi in aliquibus bona fide er-
raverit, tamen non poſſit adverſus conſcientiam ſuam ad con-
traria faciendâ adigi, cum Deus ſolus imperet conſcientiis &c.

§. 3. Miratus ſum valde hominis aut ignorantiam, aut im-
pudentiam, aut utrumque, tam lubricis ac ineptis argumentis in
defendenda cauſa injuſta utentis, ac putavi non indignum eſſe id
argumentum, in quo tractando ſpecimen profeſtuum publicum
ederem. Cum tamen mox ibidem p. 180. *ſeqq.* legerem Reſpon-
ſum Facultatis Theologiæ Marburgenſis, graviter nævos hos
Inspectoris notantis, ac pœnam Remotionis ei diſtantis, depre-
hendi id negotium ita ſufficienter ibidem eſſe expoſitum, ut mi-
hi nihil reſtaret, quod erudito illo reſponſo addere poſſem. Adeo-
que

que jam in eo eram, ut de alio themate circumspicerem, cum alius quidam libellus Germanicus Anonymi offerretur, (eodem hoc anno publicatus, quamvis in rubrica præcedentem annum præ se ferat,) qui ut prius propositum reassumerem perſuadebat. Titulum habet: *Einfältige Anweisung, wie die protestirende Kirche unter sich zu vereinigen, und in allen Dingen dermassen zu verbessern sey, daß sie mit Wahrheit der ersten Apostolischen Kirchen gleich geachtet werden könne.* Constat libellus hic capitibus vigintri, quorum summam ad meliorem dicendorum intellectum paucis exhibuisse non pigebit.

§. 4. Primo docet, Ecclesiam Christi Hierosolymitanam a novendecim Ministris, duodecim videlicet Apostolis & novem Diaconis, fuisse gubernatam, *Act. cap. 6. v. 1. seqq. (Cap. I. §. 5.)* Postea ex Papatu ortum esse, ut Ecclesiae plurimae tantum uno ministro gaudeant, adeoque opus esse, ut Ecclesiae Protestantium in hoc puncto ulterius reſormentur, atque singulae Ecclesiae tot ministros accipiant, quot iis opus sint, ut in Christianismo recte fundentur ac *gubernetur. (Cap. I. §. 7.)* Neque posse nunc defectum excusari per distinctionem inter Ecclesiam plantandam ac plantatam; utpote quae saepius adhibeatur ad palliandas plures abominationes atque scandala. *(Cap. I. §. 9.)* Quin potius evidens existere, potissimam causam, quod malitia auditorum a Presbyteris non possit eom effectu coerceri, esse, quod tam exiguus eorum sit numerus. *(Cap. I. §. 10.)* Christum vero ipsum verbis satis perspicuis præcepisse, ut peccatores se non emendantes toti Ecclesiae manifestentur, & per hujus cognitionem, in qua non unius sed omnium ac singulorum Presbyterorum potissimae partes esse debeant, ex Ecclesia *ejiciantur. (Cap. I. §. 11.)* Presbyteros autem ita constituendos sibi æquales esse debere ac unanimes. Neque hoc difficile fore: *Quamdiu enim Spiritus Christi in iis regnet, ipsos etiam charitate, unanimitate, pace, humilitate & aliis virtutibus fore præditos, atque eos non solum in doctrina sed & in vita fore unanimes. (Cap. II. §. 4. & 5.)* Præcedere vero debere eos solum, qui vocatione seniores sint, *Cap. II. §. 5.* atque

que adeo & hicut in aliis punctis corruptum nostrarum Ecclesiarum statum secundum Ecclesiam Apostolicam esse reformandum: Apostolos autem in quacunq; particulari Ecclesia aliquem contigitisse supremum *gubernatorem*, eique titulum Episcopi, alias omnibus Presbyteris competentem, tribuisse. (*Cap. II. §. 6.*) Porro sub Imperatoribus Christianis Episcopos sibi vindicasse regimen seculare & inde in Jure Canonico sibi Jus aliquod Episcopale formasse. (*Cap. II. §. 7. & 8.*) Debuisse itaque tempore reformationis Presbyteria institui cum Diaconis, sicut ea per electum ab Ecclesia Episcopum secundum Leges Ecclesiasticas gubernata fuerint; sed huius institutionis loco Principes Jus Episcopale sibi vindicasse, cum tamen Jus Episcopale sit tyrannis animorum. (*Cap. II. §. 9.*)

§. 5. Debere equidem Magistratum Politicum curam genere religionis & salutis æternæ subditorum suorum, ac posse adeo Magistratum Politicum assumere Consiliarios Ecclesiasticos ab eo solo dependentes, cum quibus sæpius de rebus Ecclesiasticis & defectibus religionis in territorio suo conferat, ac quomodo emendandi sint, deliberet; per quos etiam visitationes Ecclesiasticas instituat, atq; inquiret, quomodo subditi in religione & cultu divino versentur, ut, sicubi defectus aliquis deprehendatur, auxilio Magistratus indigens, is eo citius manifestetur ac tollatur. Id vero non posse nec debere agere Magistratum Politicum, ut per istos Consiliarios Ecclesiasticos Ecclesiæ legibus a solo Magistratu Politico conditis regantur, Ecclesiis Ministri præponantur ac confirmentur, controversiæ Ecclesiasticæ dirimantur, disciplina Ecclesiastica instituantur, minuatur, augeatur, dispensentur & abrogetur, formulæ precandi præscribantur, Ministri Ecclesiæ, in rebus spiritualibus se ad beneplacitum Magistratus Politici non accommodantes, dimittantur, atque alii in eorum locum collocentur, sed hæc omnia relinquenda esse iudicio Ecclesiæ ac Presbyterorum (*Cap. III. §. 10. 13. 15. 16.*) Imprimis autem non Principi sed Ecclesiæ committendam esse electionem Presbyterii & Episcopi (*Cap. IV.*) Jus Patronatus ex Papatu habere ortum ac Ecclesiæ Apostolicæ repugnare, atque iterum abrogandum esse

esse. Et adeo teneri Patronos Protestantium Ecclesiarum, ut id cedant iterum Ecclesiis. (*Cap. V.*)

§. 6. De officio Ministrorum Ecclesiae sic pronunciat: Actiones Concionatorum nostrorum, ac praecipue Conciones non sufficere, ut Auditores evadant pii, sed insuper requiri, ut diligentius instituantur examina Catechetica. Sed & nec haec esse sufficientia, cum defectus insignis sit Ecclesiarum nostrarum, quod careant disciplina Ecclesiastica. (*Cap. VI. §. 1. & 2.*) Hanc vero consistere in diligenti visitatione domestica, & inspectione morum in conviviis, diversoriis &c. (*VI. §. 3.*) isto quidem processu, ut si presbyteri quosdam deprehendant inordinate viventes, nec admonitioni privatae parentes, eos adhuc semel, vel per duos aut tres Presbyteros, vel etiam per totum Presbyterium verbis coerceant, & si nec tum se emendent, rem ad totam Ecclesiam deferant, eosque publice coerceant. Si nec Ecclesiam audiant, ut eos excommunicent, secundum doctrinam Christi. (*Cap. VI. §. 4.*) Quod si quis dicat, ita durissimae servituti subijci Christianos, ei respondendum esse: (1) Sacram Scripturam eum modum jubere: (2) Etiam Romanos (populum tamen liberum) Censores morum tanquam certum Magistratus genus cum fructu habuisse. (*Cap. VI. §. 5.*) Debere insuper etiam Presbyteros habere curam bonorum Ecclesiasticorum ad sustentandos pauperes, egenos & exules. (*Cap. VI. §. 6.*)

§. 7. Tum consilium suppeditat, quomodo Ecclesiae Protestantium sint emendandae. In singulis nimirum Ecclesiis ex 600. vel 800. circiter personis constantibus, debere duos Presbyteros constitui, ut ministros verbi & doctrinae, duos alios, ut Censores morum, quotidie suos auditores visitantes & mores eorum secundum leges Spiritus S. examinantes, duos Diaconos bona Ecclesiastica administrantes & curam gerentes pauperum, duos Informatores juventutis vel praecipuos scholasticos, ac denique duas Diaconissas, quae puellas instruant, ac curam gerant aegrotorum, atque horum omnium numerum aegendum esse pro multitudine personarum Ecclesias constituentium. (*Cap. 17.*)

B

§. 2. 3.

§. 2. 3.) Ab hoc Presbyterio Cœventus esse instituendos de vitis irruentibus, de iis, quibus indigeat Ecclesia, de instructione, & emendatione Ecclesiæ, de cœrtione & excommunicatione impenitentium, de Ædificiis Ecclesiasticis &c. (*Cap. VII. §. 4.*) Oportet hujus Presbyterii occurri posse dubio, quod quis facere possit de inconvenientia, si hominibus ignorantibus ac rusticis relinquatur electio Presbyterorum. (*Cap. VII. §. 5.*) Reliquis dubiis occurri posse electione Episcopi & Archi-Episcopi, qui tamen subjeti esse deberent Synodo, (*Cap. VII. §. 6. & 7.*) atque conclusum Synodi Provincialis esse assumendum tanquam veritatem celestem. (*Cap. VII. §. 7.*)

§. 8. De sustentatione vero tot Presbyterorum illud consilium suppedidar, ut Decimæ iterum introducaeretur. (*Cap. VIII.*) Decimas vero non esse juris naturalis, sed positivi, neque tamen in Novo Testamento præceptas, neque in Ecclesia Apostolica usurpatas. (*Cap. IX. §. 1. 2. 3.*) Romanos etiam Pontifices, ut se in statu quieto, divite atque exoptato constituerent, omnia ex Veteri Testamento acquisivisse, & pedetentim Christianæ religioni affocasse; atque adeo & de præstandis decimis legem fecisse, (*Cap. IX. §. 4.*) quæ jam tempore Constantini M. item Caroli M. & Ottonis M. observata sit. (*Cap. IX. §. 5.*) Quamvis itaque lex illa populum Christianum per se non obliget, utile tamen esse, si Populus Christianus ipse talem legem conderet, vel si Princeps Christianus talem legem daret subditis suis ac populis devictis, quæ haud dubie etiam illos sit obligatura. (*Cap. IX. §. 6.*) Causas vero cur lex hæc Pontificia de decimis non ubivis sit observata, esse, quod vel ab initio non omnes Laici decimas illas solverint, vel quod occasione protectionis ac defensionis militaris Ecclesiæ adversus Ethnicos aut hæreticos decimas de facto magis, quam ex concessione Ecclesiæ usurpaverint. (*Cap. IX. §. 1. 2.*) Neque tamen etiam concedi eam ob causam Laicis decimas potuisse, partim, quia isti Hæretici aut oppressores Ecclesiæ non solum Cleri, sed vel maxime Laicorum jura invadere voluerint; itaque Laicos Ecclesiam defendendo gessisse negotium

rium proprium,) partim quo Laici tanquam nutrices Ecclesiae debuerint eam exemplo Constantini, Theodosii, Caroli, Ottonis, Magnorum, gratis defendere; partim quod bona Ecclesiae alienari nequeant, & esse sacrilegii speciem, si Laici auferant Ecclesiae decimas, neque posse ab iis tanquam rem furtivam salva conscientia retineri. *Cap. X. §. 6. & 8.*) Sed & aliis modis ad Laicum venisse perceptionem decimarum; alibi enim hos absque ullo iustitiae praetextu mera violentia invasisse decimas; alibi Episcopos cognatis suis Laicis decimas injustissime vendidisse, aut donasse; alibi occasione delinquentis Clerici decimas a Laicis fuisse abreptas. (*Cap. X. §. 5. 6. 7.*) Etsi vero in pace religiosa quaedam de retentione decimarum sint disposita, illam tamen dispositionem non excusare Protestantes inter se, quin potius tempore reformationis & hunc abusum fuisse reformandum, atque decimas iterum Ecclesiis tribuendas, quia vero tum non fuerit factum, adhuc fieri debere. (*Cap. X. §. 9. 10.*) Magna insuper damna exorta esse ex ablatione decimarum, cum Dos Ecclesiae, Legata ad pios usus, collectae Eleemosynae &c. non fuerint sufficientes ad sustentationem Ministrorum, sed cum maximo scandalo accidentia fuerint introducta, ac ita functionis omnes spirituales Laicis vendi ceperint. (*Cap. XI. §. 1. 2.*) In speciem nummum confessionarium praebere maxima scandala, atque adeo tollendum esse. (*Cap. XI. §. 3. usque ad 14.*) Simul vero scandala illa omnia non difficulter tolli posse, si decimarum perceptio iterum concederetur Ecclesiae, adeoque utile esse, ut Princeps ipse Evangelicus subditis suis hac parte bono exemplo praeriret, ac ita eos, ut sponte eum imitarentur, aliceret. Cunctantes tamen & inobedientes aliis mediis ad solutionem decimarum adigi posse. (*Cap. XI. §. 15.*)

§. 9. Itaque, quod modum sustentandi Presbyteros attinet, putat autor: Decimas reintroducendas, item dotem Ecclesiae, stipendia ac legata ad pias causas a Diaconis administranda esse, cessantibus omnibus Accidentiis, quorum loco eleemosynae colligendae sint. *Cap. XII. §. 1.*) Quod si hic thesaurus Ecclesiae ad

Sustentandum Presbyterium nondum foret sufficiens, bona Canonicorum ei esse addenda, tanquam inutilium terræ ponderum. (*Cap. XII. §. 2. 3.*) Porro ex hoc thesauro salaria inter ministros Ecclesiæ æqualiter esse distribuenda, quo pacto putat cessatura pleraque vitia Cleri, rixas, invidiam, superbiam, avaritiam, cupiditatem ditiorum præbendarum, ac officiorum ambitum &c. (*Cap. XII. §. 4.*) Iſtam vero ſalariorum æqualitatem ſic eſſe intelligendam, ut ſingulis Presbyteris verbi ac doctrinæ item Diaconis & præceptoribus neceſſaria ad ſuſtentationem trium vel quatuor perſonarum ſuppeditentur, ac liberis eorum impenſæ ad ſtudia aut opificia exhibeantur, & filiæ dorentur; cenſoribus vero morum id tantum porrigatur, ut ipſi ſolum ſe exhibere valerent. (*Cap. XII. §. 5.*) Ulterius ex iſto ærario Eccleſiæ eſſe nutriendas viduas & orphanos, bibliothecam communem eſſe comparandam, non permitrendam eſſe mendicitatem, ſed pauperes ſuſtentandos, pauperiores etiam concives in ſolutione vectigalium & tributorum eſſe adjuvandos, excluſionem eſſe prochoroſophia, ergaſteria &c. Et tamen in Eccleſiis civitatum majorum tantam ſperandam eſſe abundantiam, ut ex ſuperfluo adhuc æraria pauperiorum Eccleſiarum ſuppleri poſſint. (*Cap. XII. §. 6.*) Simul vero cavendum eſſe, ne Clerici immobilia poſſideant, aut alio civium Laicorum vitæ genere utantur. (*Cap. XII. §. 7.*)

§. 10. De excommunicatione ſic ſentit: Chriſtum & Apoſtolos non ſolum intendiſſe, ut homines a cultu Ethnico & Judaico averterentur, ſed & ut a vita impia ad piam manuſcruerentur. (*Cap. XIII. §. 2.*) Itaque Chriſtianum gravius crimen committentem, ex cætu Eccleſiæ eſſe excludendum, idque ob legem a Paulo Corinthiis & aliis fidelibus datam *1. Corinth. 5. v. 5. & 11. 2. Theſſ. III. v. 6. & 14.* (*Cap. XIII. §. 3. 4. 5.*) neque Paulum (jubentem ut excommunicatus habeatur, non ut inimicus ſed ut frater,) contradicere Chriſto *Matth. XVII.* volenti, ut habeatur tanquam Ethnicus. Paulum enim loqui de prioribus tribus gradibus a Chriſto, ut ante excommunicationem obſerventur, præſcriptis. (*Cap.*

(*Cap. XIII. §. 6.*) Adeoque eos, qui coram Ecclesia coercantur statim quidem in cætu non esse tolerandos, sed non statim diabolo tradendos. (*Cap. XIII. §. 7.*) Omnia vero opera carnis mereri excommunicationem, sine respectu personarum (*Cap. XIII. §. 8.*) eamque a Sp. S. esse præceptam, partim, quia delinquens per peccata sua se ipsum extra communionem cum Deo posuerit; partim, ne alios exemplo suo seducat; partim, ut Ethnici severitatem Ecclesiæ Christianæ ejusque præstantiam præ aliis sectis sentiant. (*Cap. XIII. §. 9.*) Igitur & nos adstringi, ut excommunicationem introducamus iterum, non quidem ab Episcopo solo, nec etiam a solo Presbyterio, sed a tota Ecclesia expediendam, secundum processum a Paulo præscriptum 1. *Corinth. V. v. 13.* ut videlicet excommunicatus, si ipse exire nolit, extrudatur, ac a custodibus retineatur, ut non rursus Ecclesiam intret. Quod si Ecclesia ex negligentia aut timore nolit excommunicare, tum potestatem extraordinariam excommunicandi comperere (iterum exemplo Pauli 1. *Cor. V. v. 3. seq.*) supremo Presbytero tanquam in casu necessitatis. (*Cap. XIII. §. 10. 11. 12.*) Atque hunc excommunicationis modum observasse Christianos sub temporibus Constantini, qui tamen ab omnibus sectis habeantur pro genuinis Christianis. (*Cap. XIII. §. 14. 15.*) Nec quicquam dictis obstare, quod Judas porditor a Christo ad communionem sacram fuerit admittus. Id enim aperte falsum esse, & Judam potius exiisse, antequam cænæ sacramentum fuerit administratum, & procul dubio Christum, si non sponte exiisset, ei mandaturum fuisse abiturum. (*Cap. IV.*)

§. 11. Excommunicatos autem non statim esse recipiendos, quamprimum dicant, se facti penitere, nam excommunicatum a Paulo minimum per annum in excommunicatione mansisse. (*Cap. XV. 1. 2. 3.*) Hanc dilationem esse utilem excommunicato, ut certa signa penitentiae det Ecclesiæ, ad sui erectionem, & infidelibus ad convictionem. Interea igitur penitentem emandari atque in omnibus actionibus exterioribus triste quid restari. In receptione autem Ecclesiam respicere debere partim

partim circumstantias peccati commissi, partim pœnitentis. (Cap. XV. §. 4. 5. 6. 7.) In prima Ecclesia receptionem factam esse multis solennitatibus. Fuisse enim ibi triplicem classẽ Christianorum, Catechumenos, Fideles, & pœnitentes; atque ideo etiam fuisse triplicem pœnitentiam, Catechumenorum, Fidelium & Pœnitentium. (Cap. XV. §. 8. & 9.) Pœnitentes publice coram limine Ecclesiæ flexis genibus ac sæpe substratis corporibus fideles orasse, ut coram Episcopo pro receptione eorum intercederent, exemplo Anatolii, Ecebolii &c. (Cap. XV. §. 10.) Fuisse etiam adstrictos, ut iussui Episcopi cuiuscunque satisfactionis loco obedirent, quodcunque & quamdiu Episcopus aliquid faciendum ipsis imponeret. (cap. XV. §. 11.) Fuisse vero ordinarie quatuor gradus pœnitentiæ, Fletum, Auditionem, Substrationem. Systalin, quibus absolutis iterum solenniter recepti fuerint. (Cap. XV. §. 12. 13. 14. 15. 16.) Etiamsi autem iste modus in sacris literis non sit fundatus, debuisse tamen protestantes eum retinere, quia jam tempore virorum Apostolicorum fuerit usi receptus, & Ecclesiæ Christianæ nunquam nocuerit, sed multo magis multas attulerit utilitates. Si Symbolum Nicænum, ut credimus, a Spiritu Sancto ortum habeat, cur non & Leges Ecclesiasticæ Concilii Nicæni Spiritui S. adscribendi forent? (Cap. XV. §. 17.) Illustre exemplum pœnitentiæ esse Theodosii M. & excommunicationis ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi factæ, quæ contra nonnullos defenditur. (Cap. XVI.)

§. 12. Pergit ad cultum divinum seu pietatem, & hic quoque multa monet. Videlicet per pietatem sæpe in scripturis denotari vitam Sanctam, aliquando tamen etiam denotari cultum orationis, cantionum &c. (Cap. XVII. §. 1.) Non omnes homines ad eum aptos, sed selectum personarum observandum esse. (Cap. XVII. §. 2.) Cultum nostrum non convenire cum cultu primitivæ Ecclesiæ, adeoque in multis reformatione habere opus, præprimis ut distinctio inter Catechumenos, Fideles & Pœnitentes, tanquam Novo Testamento conveniens, observetur, & Fidelibus Laicis permitteretur, in conventibus Ecclesiasticis quædam

dam ex verbo Dei proponere, utpote quomodo lis inter eos, qui Pietistæ vocantur, & qui Antipietistarum nomine gaudent tolli possit; Mulieres tamen in Ecclesia tacere debere, neq; adeo hoc consilium Quackerisimum sapere. (*Cap. XVII. §. 3. usque ad §. 8.*)

§. 13. De conventibus Ecclesiasticis moner: in Ecclesia militante ob scandala & errores, conventus ab Ecclesia haberi debere. Atque hos triplices esse; Universales; particulares & particularissimos. (*Cap. XVIII. §. 1. 2.*) Ad particularissimos pertinere quorum exempla occurrant *Act. XXI. v. 17. seq.* super facto Pauli, & *1. Cor. V.* super incestuoso. (*Cap. VIII. §. 3.*) In his tractari de negotiis ad Ecclesiam certi loci tantum pertinentibus. Processum in scandalo dato eum esse, ut Fideles loci extraordinarie congregentur, diffamatum ad se citent, ejus defensionem aut confessionem audiant, tum in causa definiant, omnia tamen secundum verbum Dei & praxin primitivæ Ecclesiæ, sine distinctione personarum. - Et ut omnia sancto ordine agantur, etiam Episcopi ejus loci præsentiam esse necessariam. (*Cap. XVII. §. 4.*) Synodos Universales non esse sperandas, ergo frustra de earum ordine quid dici: Particulares esse, vel Nationales, vel Provinciales, vel Ditecesanas. In ditecesanis tractari debere de scandalis, quæ per Synodos particularissimas tolli non possent. In Nationalibus aut Provincialibus Leges Ecclesiasticas esse condendas ac controversas religiosas definiendas, a singulis particularibus Ecclesiis Presbyterum vel, si hoc informe videretur, Episcopum cum instructione eo esse ablegandum. Quodsi hæc fierent magnam spem esse, ut multa salutaria & proficua institui possint (*Cap. XVII. §. 5.*) v. g. de emendatione Cereemoniarum & Adiphororum, idem de controversiis doctrinæ & fidei inter prestantes. Quod enim hætenus per colloquia varia eadem non sint sopite, causam inter alias esse, quod ad talia colloquia Presbyteri non sint a singulis Ecclesiis missi; sed quod utrobique Principes elegerint doctissimos atque cum certis instructionibus ablegaverint. Qui adeo magis Legati Principum quam Ecclesiæ fuerint; cum tamen Deus non per sapientes & potentes, sed per imbecilles & contentos velit Ecclesiam suam ædificari

(*Cap.*

(*Cap. XVII. §. 6.*) Consultit igitur, ut in singulis Ecclesiis singuli sub directione Presbyterii de controversiis religionis, disciplina & legibus Ecclesiasticis &c. deliberent, & per majora secundum verbum Dei conclusum faciant. Hoc conclusum in Synodo dicecesana Episcopo & duobus, e singulis Ecclesiis congregatis Presbyteris, esse proponendum, conclusum hujus Synodi ad suas Ecclesias esse rescribendum, ita tamen, ut & singularum Ecclesiarum judicia de hoc conclusio audiantur secundum voluntatem Spiritus Sancti, cum Spiritus Prophetarum subiecti sint Prophetis. Denique conclusa dicecesium in Synodis Provincialibus & Nationalibus esse proponenda, ubi mox conclusum generale sperandum sit, cui se sponte omnes essent subiecturi, præprimis, si Princeps hic jure suo uteretur, defendendi conclusum Concilii ejusmodi liberi, & dissentientes ac contradicentes ex terris suis ejiendi, ac doctores in conciliis damnatos deponendi. (*Cap. XVIII. 7.*) Apud Protestantes omnia esse inversa. Eruditos hic omnia agere, confessiones facere secundum beneplacitum, atque his quæere defensionem potentum, principes mandare subditis credenda, iis leges Ecclesiasticas item ordinationes circa Adiaphora, disciplinam & regimen Ecclesiasticum pro lubitu proponere, ut ita inter Protestantes Ecclesiæ sint in miserima servitute, ac nihil proficui hoc modo efficiatur; profanari sanctum cathedræ locum publicatione legum Ecclesiasticarum, quas nemo obseruet; disciplinam Ecclesiasticam quotidie magis magisque ruere, cum potentes se disciplinæ nolint subicere: Pro Adiaphoris litigari intemptivo zelo a Laicorum vulgo, hærente in cortice, ac genuinæ veritatis Evangelicæ ignaro &c. Hanc autem inconvenientiam omnem inde oriri, quod nulla Concilia habeantur apud Protestantes, quæ tamen genuina remedia sint, Ecclesiam Christianam & in doctrina & in vita reformandi & emendandi. (*Cap. XVIII. §. 8.*)

§. 14. Denique de controversiis inter Protestantes & earum compositione agit, puta de cœna Domini, de absoluto decreto, de ubiuitate corporis Christi, de communicatione idiomatum, &c. Historiam singularem controversiarum recenset, asserens, dissentientes utrobique se debere tolerare, cum controversiæ non perineant

neat ad articulos fundamentales fidei, & ita in utraque secta quis salvari possit. Id tamen desiderat, ut Reformati in administratione cenæ una formula cum Lutheranis utantur. (*Cap. XIX.*) Pergit deinde ad controversias circa res, a Deo non præceptas. Exorcismum arbitratur multis ex causis esse abrogandum, & quod etiam deficiente abrogatione Synodali quilibet presbyter, tanquam rem conscientiae adversam, exemplo Lutheri propria autoritate eum omittere possit. (*Cap. XX. §. 1. usque ad 1 r.*) De confessione auriculari sentit 1. Informandum rite esse populum, ut fiant fideles, 2. Lapsos esse excommunicandos, 3. Fidelibus libertatem esse relinquendam, cui & quando peccata sua confiteri velint, (*Cap. XX. §. 12. usque ad 19*) Oblatas in usu sacræ cenæ tanquam panem spurium abrogandum esse; sed cum consensu Ecclesiæ, item candelarum usum, atque omnia festa secundum consilium Lutheri. (*Cap. XX. §. 20. 21. 22.*) Musicam Ecclesiasticam & Organa item Imagines non plane tollendas esse, sed abusum corrigendum. (*Cap. XX. §. 23. 24.*) Denique de flexione genuum, & detractione capitis quoties nomen Jesu profertur, quædam monet, & controversiam super formula quadam precandi pro iis, qui ob religionem persecutionem patiuntur, in qua Reformatos fratres appellaverat, sibi motam commemorat, (*Cap. XX. 25. 26. 27.*)

§. 15. Ex hac summa scripti, quam hæcenus recensui, patet autorem, quisquis sit, esse virum de damno Josephi sincere sollicitum ac pacificum, optimamque eum intentionem habere uniendi Ecclesias protestantium. Sed tamen, uti regulariter fieri solet, ut facilius sit defectus indicare, quam genuina remedia suppeditare, ita & huic auctori contigisse videtur. Remedia enim, quæ ipse ad emendationem suppeditat, mihi quidem videntur, non ubique sacræ scripturæ esse conformia, maximam vero partem, posito rerum præsentium statu, moraliter, ut in praxin deducantur, impossibilia. Interim arbitror eum, ubi errat, bona fide errare, & præjudiciis multis communibus laborare, quorum præcipua videntur, quod dicta quædam scripturæ, præprimis novi fœderis, de potestate temporali intelligat, ac conceptum de iis

C

nimis

nimis Politicum sibi formet; quod ecclesiae primitivae puritatem adhuc in temporibus Constantini Magni & subsequentium quarti vel quinti seculi Imperatorum ac Praesulum Ecclesiae quaerant; quodque principiis genuinae doctrinae civilis ac prudentiae Politicae noscendi animos hominum eorumque corruptionem, sit destitutus, atque nimis indistincte de ministris Ecclesiae ac vulgo Laicorum optima quaeque speret, & causas communium defectuum Ecclesiae fere omnes in potentes Laicos & Magistratum Politicum rejiciat.

§. 6. Quemadmodum vero propositum meum non patitur, ut singula distinctius examinem, sed illum laborem me prudentioribus & eruditioribus relinquo; ita solum in vindicando iure circa sacra Magistratui Politico competente ero occupatus. Ubi tamen praemoneo, me doctrinam istam ex Principiis Politico Ecclesiasticis & nobilissimae partis Juris publici, ut quod ab aliis jam abunde factum est, non esse expositurum, sed saltem vindicias scriptorum, h. e. ostensurum, quod objectiones Autoris jura Principum cum successu non feriant, sed potius ubique falsis nitantur hypothesebus & praesudiciis. Faciam vero id breviter & succincte, rationibus potius & dictis scripturae usus, quam auctoritatibus humanis. Unde non aegre feret lector, si multa allegata hic non sint comparitura. Sequar etiam non alium ordinem, quam quem Autor ipse secutus est.

§. 7. Primarium praesudicium Autoris id videtur esse, quod Apostolis in primitiva Ecclesia regimen aliquod Politicum, h. e. cum coactione aliqua externa conjunctum adscribat. Ita enim statim *cap. 1. §. 5. p. 3.* dicit, Ecclesiam tempore Apostolorum a 19. ministris Ecclesiae fuisse gubernatam, item *cap. 2. §. 2. p. 28.* quod tempore Apostolorum quorundam Ecclesiae Ministrorum officium in docendo, praedicando, adhortando, gubernando confiterit, aliorum in cura pauperum & administratione bonorum Ecclesiasticorum. Huc spectat etiam, quod putet, Christum Ecclesiae praecipisse, ut peccatores impenitentes Eccle-

Ecclesiæ manifestentur, & præcedente causæ cognitione, in qua potiores esse debeant partes Presbyterorum, ejici ex Ecclesia debeant, *Cap. I. §. 1. p. 19.* quodque Paulum, tanquam legislatorem, cujus lex in excommunicatione observanda sit, sistat, *Cap. XIII. §. 4. p. 260.* item, quod nimis secure pronunciet, modum controversias definendi per majora esse, verbo Dei præceptum. *Cap. XVII. §. 7. pag. 374.* & quæ passim in toto libello occurrunt.

§. 18. Quibus nihil aliud opponimus quam dictum Christi *Matth. XX. 25. Marc. X. 42. Luc. XXII. 25. Principes & Reges gentium dominantur, & magni ac potentes potestate Politica gaudent, ac Prorectores appellantur, vos autem non sic.* Uti vero meum jam non est, dictum illud tanquam satis apertum prolixè exponere, ita optandum foret, ut in Commentariis & Postillis id diligentius fieret, & clero etiam nostro parendi gloria cum majori emphasi inculcareretur. Potestas spiritualis Ecclesiæ & ejus Ministris comperit, quæ quamprimum ei admiscetur aliquid potestatis politicæ seu coactionis externæ, spiritualis esse desinit, & in Papo Cæsariam aut Cæsaro Papiam degenerat.

§. 19. Videntur vero nostro occasionem huic præjudicio dedisse quædam male intellecta scripturæ loca, in quibus *gubernationis & gubernatorum* mentio fit, ad quæ etiam provocat diserte *Cap. II. §. 1. p. 25. seq. & §. 2. p. 30.* ubi Lutherus voces græcas *πρόιστάμενος* & *κυβερνήτης*, reddit *Regierer* Primus locus est *Rom. XII. v. 8. ὁ προϊστάμενος ἐν σπυδῆ.* *Regieret* jemand, so sey er sorgfältig. Alter. *1. Cor. XII. 28. Gott hat gesetzt in der Gemeine die Apostel, Propheten, Lehrer, Wunderthäter, die Gabe gesund zu machen, Helfer, Regierer (κυβερνήτης) mancherley Sprachen.* Sed ad hæc in genere sciendum, per gubernatores ejusmodi non nisi ministros, spirituali aliqua potestate, qualiscunque demum illa sit, præditos, intelligi debere, quam Auctor aperte cum potestate quadam Politica miscuit.

§. 20. Deinde, quod *πρωϊστάμενος* illos attinet, de quibus

bis Paulus *Rom. XII. v. 8.* loquitur, & contextus & alia loca ostendunt, quod ei non sit sermo de potestate aliqua Politica cum coactione conjuncta, sed de cura Presbyterii, & tali quidem, quæ etiam de Diaconis prædicatur, adeoque vox illa proprie denotet *Vorsteher*, non ita bene reddita sit per *Negierer. Conf. 1. Timoth. III. 4. & 12. V. 17.* Idem Paulus: *Tir. III. 8. ἵνα Προϊστάσι καλῶν ἔργων προΐστανται:* ut curent bene agendo *præcedere.* Quæ præcedentia uti omnes Christianos, ita vel maxime Presbyteros decet, sed nullam coactionem infert, nec ea habet opus.

§. 21. Etsi vero in altero loco. *1. Corinth. XII. v. 28.* Vox *Κυβερνήσεις gubernationes* denotet, non tamen propterea violentæ & politice intelligendæ sunt; sed tales, quæ magis exemplum præbendo ac operando, (quales etiam esse debent gubernationes Presbyterorum,) quam imperando expediuntur: unde & Domini exercitationum maritimarum aut naucleri gubernatores appellantur. *Astor. XXVII. v. 11. Apocal. XVIII. v. 17.* Quamvis etiam adhuc dubium non contemnendum restet, qui factum, quod Paulus in verbis sequentibus illius loci, ubi præcedentes varias classes Christianorum ac Doctorum repetit, *gubernationem* harum non iterum mentionem injiciat, sed eas plane omittat, de quo tamen malo alios audire, quam ipse quid definire.

§. 22. Quod autem porro Autor putat, Christum jussisse, ut delinquentes cum causæ cognitione ejiciantur ex Ecclesia, id haud dubie ex male intellecto loco *Matth. XVIII. v. 17. seqq.* qui communiter de excommunicatione violenta exponitur, quam tamen neque status Christianismi primorum temporum admittit, neque ex ullis genuinis interpretationis regulis Christum in mente habuisse ostendi potest. Quin porius verosimile valde est, Christum in illo loco per verba, quod is, qui Ecclesiam non audiat, debeat haberi pro Ethnico & Publicano, non aliud voluisse, quam quod gradibus prius ibidem observatis, is,

is, qui satisfacere læso non vult, debeat conveniri coram magistratu pagano æque, ut alius Ethnicus vel publicanus, utpote quorum hi non nisi a Magistratu coacti solebant satisfacere læsis, Conf. monitum Pauli *1. Cor. VI. v. 1. seqq.* Nunquam Christus approbavit excommunicationem illam Judaicam cum violentia conjunctam, ac postea per Papatum in Christianismum introductam, tantum abest, ut eam vel simile quid in illo Christianis præcipere voluerit.

§. 23. Idem error est, cum Paulus tanquam legislator de excommunicatione ab autore sistitur ob male intellectum *cap. 5. Ep. ad Cor. v. v. 2. 7. 13.* ubi non aliud vult Apostolus, quam quod Corinthii partim singuli se ipsos emendare debeant. *v. 7. & 13.* partim quod incestuosum & alios delinquentes in Ecclesia debeant jure quarumvis societatum imperio carentium, admonere, ut conversatione sanctiori & familiari, donec emenderur, abstineat. *v. 2. & 13.* Nullam habebant potestatem Christiani tempore Apostolorum ullum hominem infamia afficiendi; itaque graviter videntur errare, qui istud Apostoli, quod cum peccantibus non debeant comedere, ita crasse exponunt, ut corresponsdeat moribus hodiernis, quibus abstinemus, ne comedamus cum carnificibus aut licitoribus &c.

§. 24. Denique error, quod verbum Dei præcipiat, ut controversæ de mysteriis fidei per majora vota in Conciliis debeant dirimi & errantes condemnari, ex male expositione *capitis 15. Act. Apost.* ortum duxit, quamvis & hic communis error autorem seduxerit, processum conciliorum Clericalium ex illo capite justificans, cum tamen in concilio illo Apostolico nulla fuerit lis de pure credendis seu de mysteriis divinis, ac nulla species judicii, nulla pluralitas votorum, nulla præminencia aut autoritas Apostolica, nulla sententia judicialis vel quasi, nulla condemnatio errantium effectu externo pollens, nulla coactio legalis, sed simplicissima decisio litis de faciendis ortæ, ac per compromissum liberum partium concilio Hierosolymitano propositæ; & quidem per unanimum assensum singulorum

rum in ecclesia Hierosolymitana, convictorum plane ratione indissolubili & quasi palpabili Petri; (quod gentiles absque circumcissione Spiritu Sancto repleti fuerint,) subsequuta etiam liberrima acceptatione hujus decisi a quærentibus & compromittentibus. Ut adeo hac de re plura addere non sit opus.

§. 25. Errore autem isto de gubernatione quasi Politica Presbyterorum semel admisso, videtur autor noster variis erroribus de Episcopis & potestate Episcopali involutus esse. Ita pro vero agnoscere nequeo, quando §. 6. *Cap. II. p. 35.* afferit, Apostolos in primitiva Ecclesia, in qualibet Ecclesia particulari constituisse Rectorem supremum, cui soli titulum Episcopi, alias omnibus Presbyteris competentem *Act. XX. v. 28.* tribuerint. Omnnes Presbyteros sילו Sacræ Scripturæ esse Episcopos ex allegato loco facile agnosco. Unde vero probabit Autor, Primum aliquem Rectorem inter Presbyteros ab Apostolis fuisse constitutum, eumque vocatum esse cum eminentia Episcopum? Certe neque loca *1. Tim. IV. v. 14. & Tit. I. 5.* ab autore *p. 36.* allata, quicquam probant, neque inscriptiones, ad quas ibidem provocat, epistolarum ad Timotheum & Titum, in quibus uterque secundum nonnulla exemplaria appellatur *πρωτος Επισκοπος*. Quidsi enim illas inscriptiones pro spuris habeamus? Quidsi primum Episcopum non de supremo quoad potestatem, sed de primo quoad numerum explicemus? Id vero plane ignorantiam controversiarum Ecclesiasticarum in autore videtur arguere, quod *p. 37.* pro sua sententia locum Hieronymi adducat, cum tamen sit potius pro nostra, quod vel initialia loci adducti verba (*Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus*) ostendunt, & eruditus ex variis variorum, puta Hammondi, Blondelli, Salmasii aliorumque scriptis notum est.

§. 26. Uti vero facile largimur Autori, *Cap. II. §. 7. p. 39.* quod sub Imperatoribus Christianis Episcopi sibi vindicare ceperint regimen seculare, & populum Christianum ab obedientia Christi abduxerint, & legibus humanis gravissime oneraverint; ita hæc observatio eum debuisset cautiorem reddere, ne, quod passim facit,

facit, Episcopos temporum Constantini & sequentium Imperatorum pro viris Apostolicis & veris Christianis habuerit. Concedimus & id auctori, quod Episcopi ad stabiliendam potestatem suam sibi met ipsis in Jure Canonico Jus aliquod Episcopale formaverint, (cujus summa capita recenser. *Cap. 2. §. 8.*) quodque Jus hoc Episcopale Papisticum in verbo Dei non sit fundatum, & revera pro crudelissima animorum tyrannide habendum sit. *Cap. 2. §. 9. p. 44.* Exinde tamen non sequitur, taxandos esse Principes protestantes, quod hoc jus Episcopale sibi vindicaverint, & quod institui debuisset tempore reformationis Presbyterium ab Episcopo per leges Ecclesiasticas gubernandum. Potestatem Politicam ab Episcopis mala fide possessam, & isto Juri Episcopali inferram Principes recte vindicarunt sibi, tyrannidem animorum in jure Papistico Episcopali simul lateantem aut non vindicarunt sibi, aut si forte & hic peccatum fuerit, hoc distinctiorem notam merebatur. Nulla potestas Ecclesiae, qua tali competit, leges Ecclesiasticas condendi, nec ulla gubernatio exterior Episcopo sine regimine seculari adscribi potest, a solo Principe & ejus voluntate in Republica dependente.

§. 27. His praenotatis jam facile responderi poterit objectionibus auctoris, quas contra Jus circa sacra Magistratus Politici *cap. tertio* ex professo mover. Ubi statim initio insignis naevus occurrit, dum §. 1. *Et 2. p. 46.* asserit: Theologos & Politicos Protestantes in exponendo jure majestatico sacrorum inter se circa varia capita dissentire, in eo tamen fere convenire omnes, quod dicant: Experientiam docere, Clericos olim in negotiis religionis sibi nimium vindicasse, quare nec vitio sit vertendum Magistratui Politico, si in negotiis religionis plus sibi vindicet, quam ipsi de jure competat. Sane qui tam crasse philosophetur in hac doctrina, neminem scimus, & oportet Autorem nimis superficialiter & obiter inspexisse Grotium, Vossium, Carpzovium, Conringium & Henichium *p. 46.* allegatos, si tam ineptam doctrinam in iis reperisse sibi persuasit. Notissima est in negotio eruditorum distinctio inter potestatem internam & externam, eum in finem ad-

ducta.

ducta, ut ne magistratui nimium tribuant; quamvis id non negemus, sæpius erronee ad alterutram harum potestatum referri, quæ eo non pertinent. Quare alii eadem distinctione abstinere voluerunt tanquam obscura, & asserere, magistratum Politicum omnia etiam in rebus Ecclesiasticis posse, quæ non repugnent rationi & juri divino; quæ sententia etiam videretur omnium simplicissima.

§. 28. In eo tamen placet institutum auctoris, quod controversiam hanc secundum communia quædam & indubia axiomata, & hypotheses ab omnibus Christianis receptas examinare voluerit. Ita enim & nos breviter ostendere poterimus, quæ vel circa illa axiomata & hypotheses, vel circa earum applicationem monenda veniant. Ponit vero Axiomate XX. §. 2. p. 47. *segg.*
 I. *Omne officium humanum, sive summum, sive imum, dependet vel a jure naturali, vel a jure positivo divino, vel a jure positivo humano.* II. *Quicquid Deus mandat & verat, illud sine exceptione observandum est.* III. *Omnis lex (scilicet positiva, nam lex naturalis cordibus hominum est inscripta) ita perspicue proponi debet, ut ab iis, quos obligat, facile possit intelligi.* IV. *Quicquid non est perspicue (sive verbis expressis, sive sensu, qui ex regulis bonæ interpretationis facile elicitur,) propositum, illud vim legis non habet.* V. *Cui summa potestas (humana) concedit magnum aliquem magistratum, ita ut velit illi a populo obedientiam præstari, & quidem sub gravis penæ periculo, hunc præcipue necessum est instruat clarissimis suæ voluntatis testimoniis.* (Jura vero Majestatis non difficilius ex recta ratione & principiis genuinæ Politicæ, sacris literis non adversantibus, deducuntur. VI. *De quo certo (adhibitis semper regulis bonæ interpretationis, & vitata vocabulorum captatione) constat, esse sic a Deo revelatum, illud sic & non aliter, ut revelatum est intelligi debet & applicari.* VII. *Jus positivum humanum non præjudicare debet seu derogare juri divino, (universali præcipienti aut vetanti, bene tamen juri particulari & legibus Mosaicis forentibus, item juri divino permittenti.)* VIII. *Veritas non dependet ab auctoritate humana, sed a se ipsa (scilicet a recta ratione & revelatione divina.)* X. *Cui a Deo magistratus concre-*

concreditus est super subditos, ille recte (ut quilibet paterfamilias suorum subditorum curam habet, non tantum temporalem, sed etiam spirituales, (absque tamen imperio in conscientias.) IX. Qui dicit, jus supremum circa sacra sibi competere, & hoc suo munere nihil dignum agit, ille vehementer peccat.

§. 29. Axioma XI. *Qui scit & potest bonum facere, & tamen non facit, facturos etiam (debite) bonum verum, non imaginarium aut cerebrinum) impedit, vehementer peccat.* XII. *Quicquid de jure uni supremæ potestati competit circa sacra in suos subditos, hoc etiam competit alteri, (nisi hæc potestas legibus fundamentalibus vel simili modo sit restricta.) XIII. Quodcunque jus circa sacra magistratui in unum subditorum competit, hoc etiam (positis iisdem circumstantiis) competit in omnes sibi subditos, (nisi iterum obstant pacta & leges fundamentales.) XIV. *Sola exempla humana (malem vocem; humana omittre ob mox dicenda) neque probant, neque improbant aliquid.* XV. *In Conscientias (de negotio salutis & mysteriis divinis, non vero si conscientia circa res politicas sint erroneæ,) solus Deus imperium habere debet.* XVI. *Quod quid ipse pro impio habet, non potest alteri obrudere, ut pro pio & justo habeat.* XVII. *Qui contra conscientiam Deum colere aut aliquid (tanquam ad cultum diuinum pertinens) agere, (aliud si rem Indifferentem omittre jubeatur,) cogitur, non potest Deo gratus esse, quando obtemperat cogenti.* XVIII. *Conscientia læsa non potest tranquillari, nisi Deus ex sua voluntate placatus sit; (Conscientia tamen erronea in negotiis politicis facile potest corrigi, si quis modo affectus & præjudicia, præprimis autoritatis humanæ ac Pseudo divinæ velit abjicere.) XIX. Omnis reformatio (Politica, nam spiritualis reformatio aliorum ex imperio non datur) rei depravatæ, non ad nostrum beneplacitum (irrationale) sed ad perfectum rei statum est instituenda, (si modo perfectus ille status rei per reformationem possit obtineri.) XX. *Non est boni viri, nedum Christiani, rationibus (non pluralitate votorum) convictum esse, & convincentem non tantum odisse sed etiam persequi.***

§. 30. Hypothéses apud omnes Christianos receptas sex tradit. p. 51. seq. I. *Magis obediendum est DEO, (sive in sacra Scri-*

prura quid præcipienti, sive per lumen cordium de officio nos admonenti,) *quam hominibus,* (& ab iis introductis opinionibus erroneis, quamvis vetustis, aut etiam conscientie nostræ non nisi præjudiciis stabilitæ.) II. *Apud Deum non est respectus Personarum,* (sed Clerus tamen, cum homines & subditi sint, Principes debent venerari, & iis, ut alii subditi obedientiam præstare, non imperare eorum conscientis, multo minus ullam violentiam erga eos exercere.) III. *Omni magistratus est a Deo, sive bonus, sive malus.* IV. *Deus voluntatem suam nobis revelavit* (in rebus supernaturalibus) *in scriptura sacra,* (in rebus naturalibus & moralibus in cordibus nostris.) V. *Servus sciens voluntatem Domini & non faciens, duplo vapulabit.* VI. *Cui multum est datum, ab eo multum quaeretur, & cui commentaverunt multum, plus petent ab eo.*

§. 31. Essent quidem, quoad singula axiomata, item quoad hypotheses forte plura monenda. Quia tamen Autor in applicatione eorum ad quæstionem præsentem partim non omnibus utitur, sed potius, meo quidem iudicio, ea toti potius libello quam huic quæstioni in specie debuisset præmittere, cum ex illis omnes fere conclusiones libelli deducere velit, partim, ut ex sequentibus patebit, plura circa applicationem eorundem ad quæstionem præsentem; quam circa axiomata ipsa (aut, si scholasticus stylus magis placeat, plura circa minorem quam majorem) monenda sint, nolo hic prolixior esse. Ita quoad Axiomata 15. 17. 18. præter ea, quæ in parenthesisibus per modum limitationis aut declarationis addidimus, prolixiorum multis de causis mererentur discussionem. Etenim non solum censura digni forent, qui definitionem casuum conscientie Politicis JCris plane adimere & solis Dominis Theologis vindicare satagunt, (*vide interim Gottfr. Arnolds Kirchen-Historie lib. 16. c. 12. §. 36.*) sed & studio Jure Consultorum non indignum foret, diligentius quam hætenus factum fuit, expendere, quinam sit effectus in jure exceptionis conscientie, item clausulæ salva conscientia. Ita enim hominum natura est, ut quamcunque hypocrisis aut pertinationem ac inobedientiam item injustitiam exceptione conscientie suæ palliare intendant. Ex altera parte non negandum est,

est, magistratum politicum omni cura id intendere debere, ut subditorum conscientia non dominetur, sed quantum salva pace publica fieri potest, eidem, etiamsi erronea sit, indulgeat. Ita clausula, quantum salva conscientia facere possum, pactis adjecta, eadem fere eludit, atque alteri parti occasionem præbere solet, conventionem infirmandi. Sic autor *cap. 19. § 2. p. 379.* memorat, in conventu Marpurgensi an. 1529. inter Lutherum & Zwinglium conventum fuisse, ut non obstante dissensu inter eos de sacræ Cænæ Mysterio, utraque pars alteri charitatem Christianam exhiberet, quantum salva conscientia id fieri posset. Quid vero per hanc clausulam fuerit effectum, eventus docuit. Sic autor *cap. 20. §. 11. p. 443. statuit*, Ministrum Ecclesiæ debere privata auctoritate & sine deciso concilii exorcismum omittere, & omnia propterea pari, exemplo Lutheri, qui cum videret, quod Magistratus Politicus defectibus Ecclesiæ mederi noller, ipse *secundum suam conscientiam* id fecerit. Idem ramen *cap. eod. §. 20. p. 453.* etsi statuatur, oblatas Lutheranorum, quibus in sacræ cæna uruntur, non esse verum panem, sed inventum pure Papisticum, monet, eas sine consensu Ecclesiæ a Presbytero privata auctoritate tolli non posse, addita ratione, quod sit ceremonia, quæ non ita graviter *vellicet conscientiam* ac Exorcismus. Quidsi jam alius alios conscientia stimulos sentiret, & putaret gravius lædi conscientiani, in usurpatione harum oblatarum, cum per eas aliquid in substantialibus sacramenti fuerit mutatum, quam Exorcismum, ut qui substantialia baptismi non tollat, præprimis cum ipse autor *cap. 20. §. 8. p. 439.* statuatur, Lutherum non errasse, quod exorcismum retinuerit. Quomodo jam hujus conscientia consuleret Autor? Confer quæ supra §. 2. de Inspectore Birsteinensi ad conscientiam suam provocante retulimus. Itaque tentandum erit JCtis, annon possint certæ regulæ dari, ad quarum normam utrumque extremorum eviterur, & ut magistratus non nimis dominetur conscientis imbecillibus, & ut tamen omnis præscindatur occasio subditis jussu magistratuum aut pacta sub prætextu conscientia eludendi. Sed ut dixi, ista quidem discutere parum proderit ad vindicias præsentis, sed reservanda sunt illa

D 2

pecu.

peculiari discursui *de jure conscientiae erroneae*. Id saltem praemoneo, regulas Theologorum Pontificiorum de conscientia parum profuturas esse ad istam disquisitionem, cum ne quidem definitiones eorum multum in recessu habeant. Quid enim est conscientia erronea? Et quis fatebitur se habere conscientiam erroneam? Quidsi dicamus: Conscientiam erroneam esse sententiam de moralitate actionis humanae repugnantem opinioni communiter in Republica receptae? sed cogitandum ea de re ulterius.

§. 32. Interim de axiomate XIV. auctoris quaedam adhuc notanda erunt, potissimum, quod deprehenderimus ejus pravam intellectum aut plane ejus neglectum occasione fere unicam dedisse auctori, impugnandi jura Magistratus Politici, atque eadem erronee vindicandi Clero. Verus & communis sententia est: Exempla non probant, sed illustrant, a qua descendit altera: Exemplorum non requiritur veritas. Mirandum igitur, cur auctor illam sententiam in dicto axiomate limitaverit, quod valeat saltem de exemplis *humanis*. Quid enim sunt exempla *humana*, & quibus opponuntur? Non possunt aliis opponi, quam *divinis*, sed aequae obscurum erit jam, quid sint exempla *divina*, & utrum de his exemplis contraria priori sententiae assertio sit facienda? Sane Deus de se praedicat, quod faciem suam mutare velit in speciem crudelis. Sane Christus ejecit profanos e templo. Utrum propterea haec exempla probant, homines posse crudelitatem exercere, aut doctores Ecclesiae posse hoc exemplum Christi imitari? Non arbitror. Porro utrum eriam pro divinis exemplis habenda, quae a Viris divino spiritu actis gesta sunt? & quomodo discernenda erunt exempla horum virorum, quatenus divino spiritu impulsus egerunt, & quatenus aliquid humani passi sunt? Sane & Simson erat vir divino actus spiritu; An vero propterea excusationem mereretur, qui uxorem infidelem in viris parentibus ducere vellet, qui scorta sectaretur, &c.? quae quis divino spiritu impulsus praeter ordinem naturae & moralitatis agit, non possunt alii imitari, nisi eodem spiritu agentur: At si impulsus divinum sentiunt, regula de exemplis quatenus ea imitanda sint vel minus

minus, non habent opus. Addo, quod communis sententia sit, exempla heroica non esse imitanda. Et quodnam jam criterium erit dijudicandi vel in se vel in aliis, utrum spiritu divino, an humano, an forte diabolico sub specie angeli Lucis se insinuante, quis fuerit actus? Imitationem illam auctoris non agnosco, sed absque limitatione axioma illud assumo. *Exempla non probant aliquid neque improbant, sed rationibus aut legibus ubique opus.* Si ex exemplo Auctor vult facere regulam vel legem, pugnat contra axioma V. *Quicquid non est perspicue propositum, illud vim legis non habet.* Atqui in exemplis omnibus, etiam divinis, semper adest obscuritas & necessaria ex ipsis legibus aliis disquisitio, utrum legis locum obtineant, nec ne?

§ 33. Utinam vero monita hæc observasset auctor, & sic evitasset, ut sæpe adversus ea non erronee impigeret. Quomodo in quaestione quam tractamus, sæpe falsus de probatione exemplorum conceptus ipsi imposuerit, mox videbimus. Sed & alibi errores similes observationem merentur. Ita jam §. 31. attulimus, quod exemplo Lutheri privata auctoritate sacra emendantis regulam faciat, & exinde inferat, eodem modo posse etiam exorcismum abrogari. Ita *Cap. 15. §. 3. p. 314.* ab exemplo incestuosi, per integrum annum, ut putat, a Paulo excommunicati infert, quod & nos debeamus excommunicatos penitentiam præ se ferentes, non statim recipere. Ita *Cap. XVIII. §. 1. p. 366.* per exemplum concilii Hierosolymitani putat a Spiritu Sancto regulam esse præscriptam, quod omnia scandala per doctrinam aut vitam data concilii debeant definiri &c. Quod si hæc exempla pro humanis habeat auctor, impingeret ipse contra regulam a se limitatam, quod exempla humana non probent. Quodsi vero, ut omnino videtur, pro divinis habeat, recurrent monita nostra. In concilio quidem Hierosolymitano præfedit Spiritus Sanctus, sed hic restat canon: *Exempla non faciunt regulam: Item Concilia non omnia habent Spiritum S. præsentem.* In exemplo Pauli (præter ea, quæ jam supra §. 23. monuimus,) dispendium foret, utrum ex voluntate Pauli, annon potius ipso indignante incestuosus per annum in statu excommunicationis

mar-

manferit? Utrum Paulus haud dubie Spiritu Sancto actus cum incestuosi corpus Saranae traderet, eodem Spiritu impulsus fuerit in determinatione temporis illius, de quo autor agit. Maximum vero dubium occurret de Luthero, quo Spiritu sit actus, cum sua autoritate Wittebergæ reformaret, & utrum vir optimus hic non aliquid humani fuerit passus? Vereor enim, ut hoc applicare ad Lutherum possit autor argumentum, quo *cap. 15. §. 17.* in alio exemplo humano utitur. Si Symbolum Niccenum a Spiritu S. dictatum, cur non & in eodem Concilio publicatæ Leges Ecclesiasticæ, potissimum de ordine & processu excommunicationis Spiritui sancto forent adscribendæ? Grave profecto dubium, ad quod quomodo ii, qui excommunicationem restaurandam negant, responsuri sint, & utrum majorem an minorem limitare velint, ab aliis audire malim, quam ipse aliquid definire.

§. 34. Nunc videamus, quid in quaestione nostra fundamentis suis superstruat Autor. In §. 3. d. c. 3. solum axioma 9. ad Principes protestantes quod & illi curam gerere debeant salutis aeternæ subditorum applicat, qua quidem in re nos habet consentientes, additis tamen limitationibus ipsi jam axiomatici adjectis. Quod vero in eodem paragrapho etiam illud axioma ex verbis *Deut. XVII. 18.* (*quod Rex Legem Mosaicam describere, & eam diligenter legere debeat, ut discat Deum timere, & secundum legem vivere,*) probare velit, in eo assentiri non possumus. Et si enim Autor dicat sub illa lege non solum comprehendi leges politicas, sed & Ecclesiasticas, ut ipse Rex observet, quo Populus Israeliticus secundum utrasque vivat, dubios tamen nos reddit, quod de cura subditorum non loquatur Moses. Et quid si loqueretur, an propterea hic juberet Moses, ut Rex habeat curam salutis aeternæ populi Israelitici? An populus Israeliticus per legem Mosaicam fuit salvatus? Hic itaque Autor haud dubie non cogitavit de axiomatico suo. IV. *Quicquid non est perspicue propositum, illud vim legis non habet.*

§. 35. Pergit autor, §. 4. p. 53. Etiam tempore Regum Israelis & Judæ hoc præceptum Mosaicum (quod, ut Autor intelligit, nullum esse ostendimus,) fuisse observatum. Initio enim Davidem

videm multa introduxisse ad cultum divinum pertinentia, perfecisse vero rem totam Salomonem. Imo laudatos fuisse Josaphatum & Hiskiam, purgantes cultum Divinum a ritibus paganis. Hic equidem nolumus, pro defendendo Jure Majestatico circa sacra, ex illis exemplis argumentum afferre; partim ne ipsimet impingamus in Regulam: Exempla non probant; partim ut evitemus vitium vulgare a statu Judaicæ Reipublicæ & temporibus Veteris Testamenti argumentandi ad statum aliarum rerum-publ. & tempora fœderis novi. Interim vereor, ut multum his exemplis accedat sententiæ Autoris. Sane David ministros cultus ipse elegit, sine consensu plebis aut aliorum ministrorum. 1. *Chron. XVII. 4. XXIV. 6. XXV. XXXVI. XXXVII.* quin potius ad id negotium adhibuit Politicos ac Milites. *Ib. Cap. XXXVI. v. 1.* Quod si igitur David hæc omnia fecit secundum voluntatem Dei, ut Autor concedit, & in Novo Testamento nulla lex reperitur, quæ Principibus hoc jus vel simile adimat, (utpote quam Autor dare nequit) quo jure voler doctrinam suam stabilire, quod ministri Ecclesiæ non sint eligendi a Principe, sed a plebe & Presbyterio?

§. 36. Ut huic dubio satisfaciat auctor, supponit: §. 5. p. 54. *seq.* Nullius Principis in Sacra Scriptura fieri mentionem, qui in cultu divino aliquid secundum suum beneplacitum ordinaverit, quod Deo fuerat gratum. Sed omnia, quæ fecerunt eos fecisse ex mandato vel impulsu divino, sive mediato, sive immediato. Mosen omnes leges Ecclesiasticas immediate a Deo accepisse. Davidem ipsum, cum contra prohibitionem Dei introduci veller arcam fœderis, sensit se quid injusti fecisse 1. *Chron. XIV.* nec permisisse Deum Davidi, ut ipse secundum suum beneplacitum Templum exstrueret 1. *Chron. XIX.* Quod vero David multa circa Sacerdotes & Levitas ipse ordinaverit, explicanda esse ex 1. *Chron. XXIX. 11. 19.* ubi dicitur David Salomoni narrasse, quod de exstruktionem Templi typum acceperit a Domino, ut ne videlicet Salomon Templum secundum proprium beneplacitum exstrueret &c. Sed nescio, an hæc Responsio Autoris dubium sit sublatura. Objectio erat de Ordine Le-

vita-

uitarum a Davide instituto, ipse responder de imagine templi. Videtur etiam autor miscere leges de cultu divino *contra & præter* iustum divinum. Non placet Deo Cultus ex astutia humana adversus leges divinas inventus. An etiam omnis cultus displiceat præter iustum divinum institutus, ulteriore disquisitione foret opus. Sene Deus Corda respicit. Nec displicuit ei cultus Regis Ninive quamvis præter iustum ejus institutus. Si nullus cultus valet, nisi speciali iusto divino institutus, sive mediato, sive immediato, non valebit etiam hodie ulla institutio cultus, etiamsi ille fiat consiente tota Ecclesia & ministris. Nullos enim Prophetas habemus, qui voluntatem Divinam aperiant. Et quid dicet autor de diebus jejuniorum & penitentiae, si ex devoto corde adhuc hodie instituuntur?

§. 37. Ex dictis vero jam patet, quid sentiendum sit, cum autor §. 6. p. 58. infert, ex S. Scriptura se demonstrasse, quod incumbar Majestati, ut de cultu divino subditorum, quo ille secundum voluntatem Dei celebretur, serio sit sollicitus; sed minime competere Majestati, ut secundum beneplacitum proprium divinum cultum, aut ejus modum vel etiam personas cultui destinatas ordinet & constituat, quin potius hæc omnia fieri debere, secundum claram & apertam Dei voluntatem. Scilicet, nondum demonstravit autor *præter* Divinam voluntatem nihil posse ordinari, nondum demonstravit; Principem non posse instituere ministros cultus. Miscuit etiam beneplacitum politicum & beneplacitum piæ devorum. Quid quod etiamsi hæc omnia de temporibus veteris testamenti demonstrasset, nihil tamen adhuc demonstrasset de Principibus nostris sub Novo fœdere viventibus. Ipse autor argumentationem a statu V. T. ad nostra tempora perspicue improbat, *Cap. IX. §. 4. p. 174.* ubi notat Romanos Pontifices, quod omnia ex V. T. conquisiverint & Christianæ Religionis immiscuerint, ut statum suum potentia & opibus firmarent. Hoc itaque & sibi dictum puret.

§. 38. Dum ergo ipse ad N. T. transit, putat §. 7. & 8. p. 58. *seq.*

seq. In prioribus tribus seculis nihil occurrere, quod confirmet officium Magistratus Politici circa Religionem, cum Imperatores potius christianam religionem persecuti fuerint. Neque etiam legi in N. T. præceptum esse, ut Principes debeant confiteri veram religionem, eam promovere aut docere subditos; quin potius Apostolos docuisse eam, etiam in vitis principibus. Sed quia tamen demonstratum sit, jure naturali & divino curam veræ religionis incumbere Magistratui, id quidem sufficere. Hic semel monendum, Autorem in hoc capite sæpe ad demonstrationes suas provocare, cum tamen raro quid demonstraverit, ne opus habeamus, hoc monitum semper repetere. Ita quoad jus naturæ de cura hac magistratus nihil demonstravit, sed solum *axioma IX.* tanquam indubitabile posuit. De jure divino, quomodo ejus demonstratio comparata sit, ostendunt dicta §. 24. *seqq.* Et quid si probasset? Probasset saltem jus divinum Mosaicum. At quid si probasset? Probasset saltem jus divinum Mosaicum. At non objectione hac sua totum illud axioma suum IX. destruat, præmissis cum ipse curam cum violentia conjunctam magistratui adscribat, ut vel ex iis patet, quæ *cap. 18. §. 7. p. 375.* asserit, quod Magistratus debeat conclusa Conciliorum relegatione & depositione damnatorum exequi; qualem quidem violentiam limitationes nostræ non admittunt. Qua ergo demonstratione hic utetur autor? Jus Naturæ violentiam in rebus religionis ignorat. Ignorat etiam jus divinum Mosaicum. Christus, ipso fatente, talem curam Magistratui non demandavit. Jam urgeo axioma IV. Quicquid non est perspicue propositum, illud vim legis non habet. Taceo, quod istud axioma de cura utriusque tabulæ magistratui incumbente videatur originem debere Papatui, ut videlicet Episcopi Reges & Principes omnes sibi facerent obnoxios, & omnem tyrannidem & Papatui Cæsariam per eos exercere valerent, quamvis & post reformationem sæpis Principes hanc sententiam æquivocam in præjudicium Cleri retorserint, & sub prætextu, quod sint custodes utriusque tabulæ, Cæsaro-Papiam exercuerint, ut adeo jam Centuriatores de hac formula conquesti fuerint. *Tom. VII. præf. p. 10. ap. Arnold. Kirchen-Historie l. 16. c. 16. §. 15.*

§. 39. Illud autem responſionem vix meretur, quod autor §. 3. p. 16. ut ſaltem aliquam religionis veræ curam magiſtratui incumbentem ex prioribus tribus ſeculis eruat, obſervet, Imperatores tamen Romanos, quamvis præter intentionem, inſtrumenta Dei fuiſſe ad promotionem fidei Chriſtianæ & veræ religionis, dum Paulum defenderint, *Aſt. cap. 21. 22. 23. 24. 25.* Ex iſta enim obſervatione nulla alia cura religionis demonſtrabitur, quam cura præter intentionem, quæ an cura vocanda ſit, ipſe autor diſpiciet.

§. 40. In §. 9. & 10. ſtatum controverſiæ format, ac ſententiam ſuam de juribus Magiſtratus circa ſacra dicit, jam ſupra §. 3. diſtincte propoſitam. Patet vero ex ibidem dictis, quod revera Majeſtati omne jus circa ſacra tollere, eamque Presbyterio & Eccleſiæ ſubjicere intendat, quo pacto annon principia Papatus reapse, etſi forte præter intentionem, defendat, ipſe etiam dijudicet.

§. 41. Summa argumenti primarii, quibus jus hoc circa ſacra impetit, illud eſt. §. 10. & 11. p. 65. ſeq. Aſſerentem jus Majeſtatis circa ſacra id perſpicue & irrefutabiliter demonſtrare debere per axiomata III. IV. V. Demonſtrandum autem eſſe ſecundum axioma I. omne officium ex jure naturæ vel divino vel humano. Jus naturæ nihil aliud monſtrare quam officium curandæ ſalutis æternæ ſecundum formam a Deo præſcriptam. At formam hanc non præſcribi a jure naturæ ſed a verbo revelato. Nullam autem ad eſſe legem divinam, Magiſtratui Politico concedentem jura leges Eccleſiaſticas dandi, controverſias deſiniendi, diſciplinam Eccleſiaſticam & Ceremonias ordinandi, mutandi, diſpenſandi, formulas precum præſcribendi, Presbyteros Eccleſiæ Magiſtratui in caſibus conſcientiæ inobedientes dimittendi, aliosque iſa ſubſtituendi &c. niſi quis forte ex SS. Literis ad exempla Jerobemi, Achabi, Achafi, Antiochi & aliorum publicorum peccatorum provocare velit, quod tamen etiam repugnaret Axiomati XIV. Hic varia reſponderi poſſunt.

§. 42. Initio argumentum hoc adverſus ipſum Autorem retorquere vellem, ut ejus imbecillitatem & fallaciam eo melius ſentiat. Quid ſie nim dicerem pari modo: Aſſerentem Eccleſiæ
in

in Republica ejusque Presbyterio potestatem leges Ecclesiasticas condendi, controversias definiendi, disciplinam & leges Ecclesiasticas ordinandi &c. id perspicue & irrefutabiliter probare debere per axiomata III. IV. V. Demonstrandum autem esse secundum Axioma I. omne officium aut ex jure naturæ, aut ex jure divino, aut ex humano. Jus naturæ nihil aliud monstrare, quam officium parendi omnibus subditis incumbens, & quod duæ potestates summæ in una Rep. esse nequeant. At Jus divinum nihil de hac potestate dicere, neque usquam concedere Ecclesiæ ejus Presbyterio potestatem leges Ecclesiasticas & Ceremonias ordinandi, mutandi, dispensandi &c. nisi quis forte ex historia Ecclesiastica priorum quinque seculorum provocare velit ad exempla Præfulum Ecclesiæ sub Constantino, Theodosio &c. ac aliorum publicorum peccatorum, quod etiam repugnaret Axiomati XIV.

§. 43. Deinde, ut auctori fallacias, quas committit, distinctius ostendamus, initio male ad quæstionem præsentem applicat Axiomata III. IV. V. Quæstio est de jure Majestatis. Jus hic sumitur non pro lege, sed pro attributo personæ, & sic pro jure permisivo; Axiomata vero III. & IV. loquuntur de Lege seu jure præcipiente ac prohibente. Deinde jam supra limitavimus illa axiomata, quod intelligenda sint de jure positivo, at jus Majestatis circa sacra ex jure Naturæ deduci potest. Quo d' axioma V. concernit, ostendimus supra, & id de officio a Magistratu Politico concessio loqui. At Magistratus Politicus jus suum circa sacra habet non ab alio Magistratu Politico aut summa potestate humana, sed a Deo.

§. 44. Porro, quod in specie jus naturæ attinet, ab aliis jam Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ Doctoribus ostensum fuit, quomodo ex eo Jus Majestatis circa sacra deducendum sit Rem in summam contrahamus. In omni Republica Majestas, seu summa civitatis ubique potestas datur. Vi hujus summæ potestatis Magistratus Politicus Christianus determinare poterit per leges omnes actiones civium, jure Naturæ aut divino positivo universali

nondum determinatas. Ecclesia est in Republica, non vero Resp. in Ecclesia. Ecclesiae nullum imperium a Christo & Apostolis in N. T. datum est. Non possunt esse duae summae potestates legislatoriae &c. in una Republica. Ministri Ecclesiae & reliqui, qui in societate Ecclesiastica vivunt, sunt subditi Magistratus Politici. Ergo Magistratus Politicus etiam horum actiones etiam ad religionem pertinentes determinare poterit, modo legibus illis nihil jubeat, quod juri divino universali repugnat.

§. 45. Ulterius Autor in argumento quod ipse ex jure naturae format, initio statum controversiae mutat, & cum quaestio concepta sit de jure Magistratus Politici, seu facultate morali activa, ipse loquitur de officio Magistratus Politici, seu qualitate morali passiva, inter quae duo est insignis differentia. Deinde in signis fallacia est, quod ideo neget officium Magistratus erga veram Religionem ex jure naturae deduci posse, quia jus naturae ostendere non possit, quænam sit vera religio. Idem enim esset, ac si statuerem, officium Isaaci erga Abrahamum patrem, aut officium Achabi erga Nabothum ex jure Naturae deduci non posse, quia jus Naturae non ostendat, quod Abrahamus sit pater Isaaci, & quod vinea sit Nabothi.

§. 46. Pergit Autor §. 12. p. 67. *seqq.* ad Praxin primitivæ Ecclesiae a Spiritu S. ut dicit, introductam, ad quam tanquam ad normam secundum Axioma XIX. Ecclesiae nostrae reformandæ sint; Hanc autem ostendere, quod controversiae in causis religionis ab Ecclesia & ejus Presbyterio fuerint definitæ. In prima siquidem controversia de circumcissionis necessitate cautum esse prudenter ab Apostolis & Presbyterio Ecclesiae, ne Ecclesia Christiana rurpi schismate divideretur. Congregasse itaque se Apostolos Hierosolymæ tanquam in loco præcipuo, congregasse ad se Presbyterium & Ecclesiam, deliberasse de negotio & conclusum formasse, cui se omnes subjecerint Ecclesiae reliquæ. Similiter controversiam de Festo Pascharis tandem definitam fuisse in Concilio Nicæno. Novatum in Synodo Romano, Paulum Samosatenum in Concilio Antiocheno, Arium in Concilio Nicæno damnatos fuisse. In his omnibus Conciliis nullum Magi-

Magistratui Politico locum fuisse, plura vota Patrum de re accurate deliberantium rem definitivisse. In prioribus tribus Seculis, ubi Ecclesia adhuc pura virgo manserit, ne quidem Magistratum adfuisse in Conciliis. Concilium Nicænum quidem promovisse Constantinum, eique interfuisse non solum tanquam Christianum, sed & ut Principem, at nullum vorum dedisse, sed simpliciter acceptasse, ac defendisse conclusa sanctorum Patrum, tanquam cœlestem veritatem, imo sic modestum se gessisse, ut ne quidem controversias Episcoporum privatas definire voluerit, diserte asserens, Sacerdotes a DEO positos esse cum potestate de Laicis judicandi, Laicos vero non posse judicare de Sacerdotibus. Praxin hanc Ecclesiæ haur dubie a Spiritu S. tempore Apostolorum introductam esse, adeoque esse Legem divinam positivam, scil. ut singulæ Ecclesiæ deputatos ad Concilium eligant, qui nomine suæ Ecclesiæ vorum dent, ut ita per majora conclusum concillii fieri possit. His omnibus nihil novi reponimus, sed repetimus saltem ea, quæ jam prænotavimus §. 24. 26. & 32. scilicet: Concilium Apostolicum omnia, quæ eminentiam Cleri & coactionem involverunt in Conciliis subsequenteribus, dissimillima habuit. Exempla non faciunt legem. Constantini tempore Ecclesia, ipso hic fatente autore, non fuit virgo, sed per illam Constantini adulationem de Clero non judicando a Laicis Papatus fuit stabilitus, cujus adeo fautor est Auror, non Evangelicæ doctrinæ de Clero Laicorum imperio subjecto, si istam adulationem approbat, quod tamen de ipso præsumere nolumus. Etiam in prioribus tribus seculis Papatus fundamenta fuerè jacta, & jam posita tempore Conciliorum Nicænum præcedentium.

§. 47. Eadem responsiones locum inveniunt ad ea, quæ jam sequuntur apud autorem *in* §. 13. p. 71. *seq.* Legum Ecclesiasticarum constitutionem non soli Magistratui Politico, sed toti Ecclesiæ competere, sic probare intendit: Tempore Apostolico Leges Ecclesiasticas factas de usu eorum, quæ idolis oblata erant, de suffocato item ac sanguine, quæ omnia secundum hodiernam

praxin Christianam sint indifferentia, & eo tempore, ne fidelibus Judæis scandalum daretur, fuerint ab Apostolis prohibita *Act. 15.* Hoc exemplum primorum Christianorum subsequenter fuisse instar legis, secundum quod usu exigente postea alias leges Ecclesiasticas condiderint, puta de festo pascharos, de jejniis & pœnitentia Ecclesiastica. Ipsum Constantinum non invasisse hæc jura Ecclesiæ, sed permisisse, ut Patres in Conciliis Canones plurimos condiderint. Neque præsumendum esse a ram sanctis Confessoribus & Martyribus, eos crimen læsæ majestatis commisisse, ac jus legislatorium Imperatori competens invasisse. Accedit, quod falsissimum sit Apostolos *Act. 15.* ista pronunciasse tanquam leges Ecclesiasticas. Conventus eorum primario institutus erat ad definiendam quæstionem ex compromisso de circumcissione, cujus declarandæ gratia reliqua de idolothytis &c. adjiciebantur. Erat autem jam antea lege divina prohibitum de talibus non comedendis, igitur tanquam doctores saltem declarabant leges has veteris Testamenti Christianos adhuc obligare debere, ne quærentes, dum audirent circumcissionem non amplius esse necessariam, putarent & hæc licere. Quin si a Spiritu Sancto tum demum illæ Leges ut Ecclesiasticæ sunt conditæ, quærerem, ex autore, quando Spiritus Sanctus has leges iterum abrogaverit, quas tamen jure hodie non amplius observari ipse autor facile concedit. Novit etiam Autor, Martyrium non facere Christianum, & Christus docet, non Confessores introituros in regnum cœlorum, sed eos, qui voluntatem Patris in cœlo operantur. Neque tamen & crimen læsæ Majestatis committit, qui ex indulgentia & socordia Principum juribus Majestatis etiam parum Christiane utitur. Ipse autor supra § 26. dixit, Martyres illos & Confessores sub Imperatoribus sibi regimen seculare vindicasse, & populum Christianum ab obedientia Christi abduxisse &c.

§. 48. Illud vero nescio, an responsonem mereatur, quando autor §. 14. p. 73. ex dictis *Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15.* quod Ecclesia Christiana sit fundata super Petram, & extructa super fundamentum,

damento Apostolorum & Prophetarum, ubi Christus sit lapis angularis &c. inferre vult, quod, quoties leges Ecclesiasticae condendae sint ac controversiae definiendae, apud Ecclesiam Christianam refugium sit quarendum. Ut enim mitissime dicam, quod sentio, non melior est connexio in hoc argumento, ac in vulgato: stat baculus in angulo, ergo cras pluet.

§. 49. Sed & ad ea, quae §. 15. p. 75. seq. de disciplina Ecclesiastica & excommunicatione soli Ecclesiae absque praescitu & directione Magistratus Politici vindicanda affert, jam supra §. 22. & 23. responsum praecoccupavimus. Ait nempe in duobus locis *Matth. XVIII. 15. seq.* & *1. Cor. V.* verbis luce meridiana clarioribus eam Potestatem soli Ecclesiae tribui, praepimis cum Christus non dicat: dic Principi, dic Consistorio, sed dic Ecclesiae. Ostendimus autem ibidem illa loca scripturae de disciplina quadam Ecclesiastica ac excommunicatione non loqui. Apertius de iis non loquitur locus tertius *II. Joh. V. 10.* eum, qui doctrinam Christi non afferat, non hospitio suscipiendum esse nec ei dicendum esse, quamvis & ipse d. p. 75. ab autore communem errorem secuto, huc applicetur. Nihil enim aliud dicit Apostolus, quam ut a conversatione familiari cum impiis abstineamus.

§. 50. Quod si porro quis summam demonstrationis pro jure Majestatico circa sacra supra §. 42. adductae curate expendat, facile deprehendet, impertinens esse postulatam auctoris §. 16. p. 77. Magistratum Politicum hactenus recensita Jura Ecclesiastica juste exercere non posse, nisi speciale mandatum divinum producat, quo leges priores divinae Ecclesiae talia jura tribuentes abrogatae & jura illa in Magistratum sint translata: quamdiu hoc non fiat, Magistratus illud jus non esse nisi Alourio Episcopiam & Caesaro-Papiam. Quam in rem etiam loca duo ex B. Luthe- ro & D. Spenero adducit, ad quae, etsi facile ostendere possumus, ea auctori parum prodesse, brevitatis studio respondemus, nos non disputare auctoritatibus sed rationibus.

§. 51. Quare nec solliciti esse debemus, ut iis multa regeramus, quae Auctor §. 17. p. 81. seq. adversus illos disputat, qui Jus
Prim-

Principum circa Sacra ex Jure humano, id est ex Instrumento Pacis deducunt, quibus responder axiomate VII. Jus humanum non posse derogare juri divino: quamvis etiam autor duas distinctas quaestiones confundat, quo jure scilicet Magistratus politicus in genere Jus circa Sacra exercent, & quo Jure Principes Protestantes in imperio; illa ex Jure Naturae, haec ex historia Germanica & principiis juris publici decidenda est. Quod autem adversus illos, qui Principum Imperii jus circa Sacra ex superioritate territoriali deducunt, urget, hoc pacto competiturum etiam esse Imperatori Turcarum ac Tartarorum jus circa Sacra ob Axioma XII. partim innuit, eum non intelligere, quid sit superioritas territorialis, partim docet, quod sine ratione pro absurdo habeat, quod absurdum non est. Quis enim neger, Imperatorem Turcarum habere jus circa Sacra?

§. 56. Ne tamen Autor videatur magistratui Politico omnia jura circa Sacra adimere, putat §. 18. p. 87. *seq.* sat habere Magistratum, in quo jura haec exercent, si protegat Ecclesiam, ac ortis controversiis Synodum in territorio suo ordinet, ejusque conclusum exequatur ac condemnatos deponat ac ejiciat, exemplo Aurelii Imperatoris & Constantini. Sed hoc pacto Magistratus fiet nudus minister Ecclesiae, Presbyterium dominabitur. Oblitus etiam fuit Autor sui axiomatis, quod exempla humana nihil probent, dum p. 88 *seq.* protestantes Principes jubet exemplum capere ab Aureliano Ethnico Imperatore, qui Paulum Samosatenum antea ab officio deponere noluerit, donec ab universa Ecclesia fuerit damnatus. Quare ex hoc infert, a principibus nostris nullum Ministrum Ecclesiae esse relegandum aut deponendum, nisi per legitimam Synodum condemnatum.

§. 53. Illud vero non omittendum, quod Autor *ibid.* p. 89. ita philosophetur: Principes non posse obtrudere in causis religionis decisionem controversiae alicujus, etiamsi forte in decisione sua veram sententiam arripuerint. Nam secundum morem Spiritus Sancti non nisi per concilia ita determinari quaestiones, ut

tu reliqui iis acquiescere debeant. Qui extra Concilium quæstiones ejusmodi determinare velit, eum oportere esse infallibilem, cum tamen infallibilitas nulli homini concedenda sit. Hic initio facile auctori indulgemus, Principem non posse violenta decisione uti, non magis, ac aliquod Concilium. Cum tamen Principes, quotiescunque decisionibus ejusmodi usi sunt, id fecerint per Theologos, quibus infallibilitatem, (& recte quidem) auctor denegat, inde videtur gravis obiectio adversus ipsum auctorem formari posse. Theologi qui in concilio dirimunt controversias per vota sua, aut Spiritu S. aguntur, aut minus. Si posterius, nec conclusum per vota majora erit conclusum infallibile Spiritus Sancti. Si prius, possent etiam singuli extra concilium infallibiliter controversias definire & ita posset etiam Princeps eorum ministerio, extra concilium uti, nisi forte absurde adstruere velis, Spiritum Sanctum alligatum esse loco Concilii tanquam officinæ suæ. Quamvis nec apud nostros sit infrequens, ut cathedram Ecclesiasticam officinam Spiritus Sancti appellent.

§. 54. Vult etiam auctor in reliquis juribus Ecclesiasticis suas partes esse debere Magistratui Politico. In conficiendis legibus Ecclesiasticis dicit §. 16. p. 90. magistratum politicum hoc opus dirigere & facilitare, posse magistratum dispicere, an disciplina Ecclesiastica ubique sine respectu personarum exerceatur: debere eum sollicitum esse, ut vocatio ministrorum Ecclesiæ apud omnes Ecclesias fiat secundum verbum Dei, & ut Presbyteria definito auctoris modo instituantur. Sed vel hic iterum auctor magistratui Politico relinquit solam exequendi gloriam ea, quæ Presbyterium conclusit, vel fateor me non intelligere, quid auctor velit.

§. 55. In §. 20. p. 91. seq. Auctor ipse objectionem sibi format: Si Presbyterio concedenda esset potestas aliquid in Ecclesia ordinandi, nullam definitionem esse sperandam, sed perpetuas lites Presbyterii inter se; Respondet vero, causam, quod Presbyteri ita sint ad litigia proni, esse, quod ministri non sint legitime

gitime per Ecclesiam vocati, & quod careamus justo Presbyterio. Sed quis hanc causam sibi perſuadebit? Saepe inculcavit Autor, Ecclesias nostras ad tempora Constantiana esse reſormandas, utpote ubi ab Ecclesiis ministri sint electi, & Presbyteria autoritate polluerint. At quando unquam majores rixae fuerunt, quam illis temporibus? Singulis annis nova Sym-bola cudebantur, & Concilia urgebant Concilia. Loquitur id Historia Ecclesiastica unanimiter. Et ex vita Constantini M. notum, sanctos illorum temporum martyres & confessores ita pruritu litigandi fuisse infectos, ut Cæsar coactus fuerit, istorum libellos accusatorios in universum cremandi.

§. 56. Claudis Autor hoc caput, & faterur in §. 21. p. 29. *segg.* se hanc methodum tractandi didicisse ex Conringii conclusione fundamentorum fidei Pontificiae, unde etiam quadam axiomata depromserit, insuper arbitratur, quemadmodum scriptum illud Conringii titulum concussionis fundamentorum Pontificiorum jure mereatur, ita etiam posse caput hoc tertium jure appellari: Propugnaculum inexpugnabile Regiminis Ecclesiae Christi. Conringii tractatum non legimus. Nec ad rem praesentem opus est. Utrum vero hoc propugnaculum inexpugnabile Autoris expugnauerimus, judicet benevolus lector.

§. 57. In Capite IV. Autor prolixè probare intendit, electionem ministrorum Ecclesiae competere Ecclesiae & Presbyterio, non Principi. Sed cum hic nil nisi praxin Primitivae Ecclesiae & sic mera exempla afferat, ad hunc medium terminum vero ad nauseam sit responsum, nolumus hic prolixitate ulteriori auctorem imitari. Sed putamus ea, quae in juribus Ecclesiasticis protestantium Principum de electione ministrorum Ecclesiae disposita sunt, nec juri naturae nec principiis Christianismi repugnare, etsi forte praxis non semper respondeat ordinationibus.

§. 58. Quae capite V. pariter contra jus patronatus disputat, cum non respiciant ipsum jus magistratus politici, transent. Interim sic putamus: multos abusus sub jus patronatus irrepsisse, interim tamen in se non videri repugnare aut rectae rationi aut scriptu-

scripturæ; optandum equidem esse, ut ob nimium ejus abusum id abrogetur, sed non sperandum, minime vero omnium, quod Patroni Protestantium sponte huic juri suo sint renunciaturi, ut consulit autor.

§. 59. Ex reliquis capitibus quod nos attingat, nihil restat peculiari observatione dignum, nisi dum *Cap. 16.* autor factum Amprosii Theodosium excommunicantis defendit, iterum communem doctrinam secutus. Nos uti factum Imperatoris, cujus gratia excommunicatio illa facta dicitur, improbamus, ita nec factum Ambrosii probare possumus, sed insignem hic factum Episcopi Mediolanensis sub larva zeli divini, forte & ipsummet decipientem, subfuisse, ac eorum hoc negotium direxisse arbitramur. Quæ autor contra disputat ea præjudicio nituntur jam sæpius rejecto, quali Christus & Paulus excommunicationis Ecclesiasticæ legem tulerint, & vero per hypothesin secundam apud Deum non sit respectus personarum. Sed quemadmodum præcedens refutatio præjudicii illius nobis jam otium facit, ut non opus habeamus in conclusione hac nos detinendi, ita & hypothesis illa secunda quod apud Deum non sit respectus personarum, male huc applicatur, ut vel ex limitatione, quam eidem supra §. 28. subjecimus, patet. Majori verosimilitudine nituntur illi, qui lege universali capitalem homicidii pœnam dictatam esse docent, quam qui excommunicationis legem a Christo deducunt. Quid si jam Ambrosius Theodosium tot homines innocentes interficientem, sub prætextu zeli divini jusfisset iterum capitali pœna affici, allegans illam autoris hypothesin: apud Deum non esse respectum personarum? Credo quemlibet sentisse, eam male fuisse applicatam. Nec est, quod dicas magnam differentiam esse inter excommunicationem & decollationem: Ita quidem est; Sed nec ego a pari argumentor, at solum parum aptam applicationem hypotheseos, quod apud Deum non sit respectus personarum, instantia infrigo. Deinde quid mali potestas excommunicandi quemvis, etiam Principem, Episcopis indulta Reipublicæ ac tranquillitati universorum intulerit vel historia Imperatorum Germanicorum,

præcipue Henrici IV. non loquuntur, sed clamant, donec ex principiis sanioribus vel brutalitas illorum fulminum fuerit afferta. Taceo, quod adhuc dubium videatur, an excommunicatio illa Theodosii istis circumstantiis, quibus ex Ruffini Historia Ecclesiastica & Historia Tripartita eam refert autor *ditto cap. 15. §. 4. p. 340. seq.* unquam facta fuerit. Video enim in historia Ecclesiastica Gottfr. Arnoldi simplicius narrari, quod Ambrosius Theodosium ob factum illud ad communionem admittere noluerit. *lib. 4. cap. 2. §. 23. conf. Elie du Pin. de antiqua Ecclesie disciplina dissert. 7. §. 3. p. 499. seq.* Sed ista jam non vacat prolixius discutere.

§. 60. Apparet vero ex hactenus dictis, quantum intersit ad securitatem Principum defendendam, ut communes & ex neglectu etiam inter protestantes receptæ opiniones, in doctrina Juris Ecclesiastici, prima fronte quidem Principibus blandientes, reapse tamen eosdem arbitrio ac libidini Cleri subjicientes, emendentur, neque Principes sibi amplius imponi patiantur, noviores has emendationes tanquam impias aut quæri publicæ periculosas non esse tolerandas. Quod si enim doctrinæ istæ homini cetera pio ac de damno Josephi sollicito, qualem Autorem nostrum esse supra diximus, imposuerunt, ut, dum defectus Juris Ecclesiastici apud Protestantes (quos non negamus) emendare studet, revera consiliis suis, bona fide quidem, Papißmum crassissimum stabiliat, quid fiet, si ex doctrinis istis conclusiones deducant homines imperium Politicum magna cura ambientes, & speciminibus variis de jure decidendi controversias Theologicas ac similibus animum suum aperte prodentes? Sed speramus meliora. Fiet enim, & certe fiet, ut si eruditi aliarum facultatum jura Principum tueri arque Papatum Ecclesiarum Protestantium detegere nolint; id tamen facturi sint Politici ac Jure Consulti, utpote ad quos etiam primario ea res pertinet. Faxit Deus
Feliciter.



COROLLARIUM
PRÆSIDIS.

SPonsione certaverunt duo amici, utrum annus currens sit ultimus hujus seculi, & seculum novum incipiat statim, quamprimum scribatur Annus 1700. an vero annus currens sit penultimus, & novum seculum incipiat, post ultimum Decembris anni 1700. scil. die 1. Januarii anni 1701. Compromiserant in me. Respondi, prius mihi videri verius. Videbatur enim res definienda esse ab ætate hominis & modo istam computandi, cum & computare annos nostros soleamus a nativitate h. e. ab ætate Christi: Jam vero si Christus adhuc in his terris degeret, diceremus, quod explevisset annos 1699. adeoque annus currens pertineret ad annum seculi ultimum. Postea quaestione hac subinde in conversationibus proposita de-

prehen-

prehendi, illam valde esse dubiam, & vix tres in conversatione quadam de ea esse unanimes. Quæsi adeo, cum utrobique rationes non improbabiles afferantur, annon certius quid definiendi possint suppeditari argumenta. Omne momentum in eo situm est: an tempus denominemus ab annis currentibus, an ab adimpletis. Evolvi Chronologos, neque hic aliquid memoratu dignum deprehendi. Ex præstantissimis enim observavi, quod inconstanter annorum myriades & secula modo ab anno primo, modo ab anno ultimo præcedentis myriadis vel seculi incipiant. Ex scriptoribus historiarum secularium aliqui seculum, v. g. decimum sextum incipiunt anno 1501. & finiunt anno 1600. aliqui incipiunt ab anno 1500. & finiunt anno 1599. Neque ex doctrina de Jubilæis certius quid desumere potui, præstantissimis Chronologis de computatione Judaicorum Jubilæorum graviter inter se dissentientibus. Addo, quod in Papæis Jubilæis vel eadem remaneat petitio principii: Utrum annus Jubilæus celebretur in ultimo seculi anno, an in primo, vel, si maxime hic certius quid possit afferri, inter Protestantes tamen recepta est doctrina, papam posse errare. Inquirendum.

rendum ergo unice esset, quomodo a primis Christianis primus Christi annus sit scriptus v. g. an ea quæ nondum absolutis duodecim mensibus gesta sunt, dixerint facta esse primo Christi anno, an saltem quinto vel sexto mense a natiuitate Christi; Sed quis hæc definiet? Ergo mihi videtur adhuc responsio data in verosimilitudine sua manere, donec afferatur quid verosimilius. Neque aliena est hæc quæstio a Jurisprudencia. Narravit enim mihi Vir fide dignissimus P. W. M. A. in provincia quadam Imperii Præfectum provinciæ interdixisse rusticis sub pœna gravi, ne hoc anno feras venentur. Rusticos fuisse attonitos, cur, quod hæctenus nunquam licuerit, hoc præcise anno sub pœna prohibeatur, Seniores autem narasse junioribus, quod habeant antiquum privilegium, venandi cujusque seculi anno ultimo. Ergo rusticos non obstante Præfecti prohibitione strenue hoc anno venationi dedisse operam, ac Præfecto urgenti, quod sequens annus demum sit ultimus hujus seculi, respondisse, majores suos simili modo circa finem præcedentis seculi, fuisse in exercitio juris sui impeditos, ac persuasos ut venatio-

nationem ab ipsis anno 1599. præsentam differ-
 rent ad annum 1600. Isto vero anno compa-
 rente eos fuisse impeditos sub prætextu, quod
 annus jam præteritus fuerit ultimus. Rem ergo
 adhuc coram supremo illius loci iudicio ventila-
 ri. Quamvis vero res nondum definita sit, &
 definitio etiam illa extra territorium jus facere
 queat, nescio tamen, quomodo & hæ circum-
 stantiæ mihi meam sententiam adhuc ve-
 rosimiliorem reddant.

F I N I S.




194
93

287
179.10

6078







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

13

B. V.

ICIÆ ESTATICI

CA
RA,

SIMPLICIS CONSILII,
MODO
OTESTANTIUM
NIENDÆ,

JAS
NIFICENTISSIMO
VCIPE AC DOMINO,
O WILHELMO,

IDENBURGICI HEREDE,
&c. &c.
RÆSIDIO
THOMASII, JCTI,

RANDENB. ET PROF. PUBL.
RID. p. t. DECANI,
DISQUISITIONI SUBMITTET
MUS RIESE,
NUS HASSUS.

JUNII MDC XCIX.
Q. S.

DEBVRGICÆ,
RUNERTI, ACAD. TYPOGR.
MDCCXL. (6)